



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


**Carminvm Iacobi Albani Ghibbesii, Poetae Lavreati
Caesarei, Pars Lyrica**

Gibbes, James Alban

Romae, 1668


urn:nbn:de:hbz:466:1-13378






X
V 22

Th 7001





Maroquin. (Französischer Einband).
Auf beiden Deckeln das Wappen des Ferdin.
v. Fürstenberg als Supplicatarius.

S. 4/5

Gedicht an „Ferdinandus Fürstenbergius“

1667 wurde der von englischer Elft
in Frankreich geborene


J. A. Ghibbesius vom Kaiser
Leopold in den Stand des
„poeta laureatus“ erhoben.

Dies ist die Erstausgabe des lyrischen
Gedichte.

mit gestochernem Titelblatt
und dem Porträt des Dichters von
Albert Clouet (1624-1687)

Zehnter Exemplar des Fünftbuchs
an die Jesuiten in Paderborn.

*51. pro Rhetorica:
Ex Legatione Principis Ferdin: Ep: Paderb: et Monasterii. An
1668.*



CARMINVM
IACOBI ALBANI GHIBBESII,
POETÆ LAUREATI CÆSAREI,
PARS LYRICA:

ad exemplum Q. HORATII FLACCI
quamproximè concinnata.

ROMAE,
EX TYPOGRAPHIA FABII DE FALCO.
Salv. Rosa delin. M. DC. LXVIII. Alb. Clower sculp

*Collegij Socii TESTA Paderb:
1668*

[Faint, illegible handwritten text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.]

[Faint, illegible text in the upper middle section of the page.]

[Faint, illegible handwritten text at the bottom of the page.]

CARMINVM
IACOBI ALBANI
GHIBBESII,
POETAE LAVREATI
CAESAREI,
PARS LYRICA;

ad exemplum Q. HORATII FLACCI
quamproximè concinnata.



Th 7004

ROMAE,
Ex Officinâ Fabij de Falco,
cIo. IoC. LXVIII,


Permissu Superiorum.

CARMINUM
IACOBI ABBATI
GHIBBERII

POTAE LAVINIAE
CARMINA

PARS IYRICA

ad exemplum G. HERARDI HALLI
CANTONIS CONDITUM



R. O. M. A. E.
Ex Officina Typographica de Falco
Cl. J. C. L. A. V. I. I.

Permissa Zuercher



CLEMENTI IX.
PONTIFICI
MAXIMO.



Vi recentem ac peroptatum
ad supremum rerum hu-
manarum apicem, Deoque
proximum imperium folio
Sibyllino, hoc est, vero, sed
duntaxat vno oblato car-

mine salutaueram ascensum tuum, BEA-
TISSIME PATER; eccè idem ego rur-
sus integro multiplicium volumine ver-
sum eam tantam dignitatem tibi coelum,
cuius hinc suppleas diuinissimè vices, pro eo
ac mereris, vt fortunet innumeros annos,
septimo post mense supplex ac pronus im-
ploro. Ità res crescunt breui tempore sub
optimo Principe mirabiliter; ità cuilibet
quantumuis curtae & exiguae sorti, binæ,

a 3

sive

O P E R I S

siuè etiam trinæ centesimæ respondent su-
 pra fidem. Et nimirum, quidni sic Musa
 nostra responderet? præsertim Tibi, quem
 prolixius haud paulò, quàm Nilum Ægyp-
 tus, suum agnoscit foecundatorem. Atquè
 hunc quidem prædicat non statis diebus
 quotannis recurrentem, & quadam veluti
 gratificandi lassitudine intercisum, sed me-
 diusfidius instar Manalis olim lapidis con-
 tinuum in beneficijs ac perennem. Quod
 sanè decem ipsos amplius annos assiduè
 expertus, ex quo me primùm contuli in-
 clientelam tuam, iamquè nouissimè post
 creatum Pontificem Maximum peramplo
 Sapientiæ Mineruale (quam etiam ex-
 dram cum docendi munere mihi in hac
 arce gentium, & luce orbis terrarum ab
 Antecessore dudum tuo procurâras) lucu-
 lenter à te auctus, non præclarâ tantum
 confessione vocis apud omnes homines te-
 stari debui, verum etiam aliquo Palladio
 cerebri qualiscunque mei edito partu, quâ
 quidem in re putor (si tamen verè) nonni-
 hil posse, tanquàm suspenso consequenti-
 bus seculis anathemate, debitoquè maxi-
 mis promeritis istis, notum atquè consi-
 gnatum relinquere.

Meam Lyram igitur, in quâ spem totam
 præsentis & posteræ memoriæ, nè dicam
 gloriæ meæ, repositam habeo, volens ac
 libens antiquâ formulâ dico consecroquè
im.

D E D I C A T I O .

immortalitati Nominis tui, tāquām ipsam per sese immortalem, vel huius certè quæsito coniunctionis præsidio futuram. Lux, àn vmbra fuerit, parùm laboro, dummodo id consequar, vt impressionem suam deriuet à Sole, quem eundem poëtæ vocant Apollinem. Quis autem ignorat, lyram primùm à Mercurio inuentore huic Deo donatam, semper ei postea in delicijs adhæsisse; sic, vt coelo etiam ad se translata inter sidera infixerit? Herodotus quidem ille Halicarnasseus, quamuis scriptor historię, nouem Musis totidem libros suos inscribere non dubitauit: licebit mihi longè iustiùs, opinor, & rectiùs, in poëtico propriè regno versanti, opus melicum, id est, hoc volumen Odarum meum, ipsi Musarum patri ac præsidi, seù Phoebo siuè Apollini, deuotissimè commendare.

Istâ ego religiosâ nuncupatione discipio Tuam intelligi, BEATISSIME PATER, Sanctitatem. Tu Solaris cùm nominis, tum efficientiæ, totam imple mensuram in terris vsquæquaque. Vel quâ Sol, appares solus, & emines supra cœtera regum lumina; dux es huius & moderator orbis vniuersi; mens mundi atquè temperatio per cuncta permeas; res hominum omnes, partim etiam Superùm, virtutis tuæ iustis splendore, potestatis amplitudine tueris atquè sustentas. Verùm facio -

imprudenter, qui sic tuam sacrationem
partem illotis manibus tractem apud Teip-
sum, & fastorum aut annalium materiam
committam epistolæ breuitati? Quæ repræ-
sentas Apollinem, id videamus potius,
quod erat præcipuè institutum, facitque
maximè ad sermonem præsentem. Huic
numini sub tali notione quatuor pulcher-
rimas artes, omniumque maximas, qua-
rum princeps Poësis esset, velut vniuersali
& absoluto possessori, adeoque Musas ip-
sas eidem in fidem & clientelam, quasi
certissimo custodi acerrimoque vindici,
sapiens attribuit antiquitas. Ut nihil iam
dicam de magnifico templo, aut confertâ
bibliothecâ illi ipsi coniunctè dedicatis
hac in vrbe apud Palatium; quod vtrum-
que, meo iudicio, Romani eius tum lite-
rarum scientiæ, tum literatorum præsidij
clarissimam posteris notam esse voluerunt.

Quæ quidem in Personam Tuam, si ve-
lim in singulis insistere minutiùs, quadrant
omnia modo planè singulari. Sed illud
certas ob causas exequar duntaxat vnum
in præsentia, quomodò studia liberalium
artium & ingenuarum, nostræ præsertim
huius Poëticiæ, quam offero Tibi, compre-
hendas similiter atque promoueas. Coete-
ris in facultatibus, summis illis & præstan-
tissimis, ambigit nemo quantus extiteris
omni tempore, qui vitæ releget cursum
tuæ,

DEDICATIO.

tuæ, per publica Sedis Romanæ munera, ac per gradus honoris singulos, usquè ad supremum imperij gloriæquè verticem inter mortales, continenter actæ. Non tamen & politis atquè amœnioribus istis non excolendum apprimè tibi animum iudicâsti. Suspexit iamdudùm Italia, in ætatis illo iuuenilis atquè præferuidæ impetu, poëtica illa nominatim dramatico in genere scripta tua: quæ vt nitebant omni leporis, ingenij, elegantiaæ flore depicta, sic te facilè demonstrant communi lectorum suffragio principatum semper, quocunque incubuisses, adipisci potuisse. Nam quid ego post voluntatem animi tam propensam ad literas, amorem loquar nunc probemquè tuum erga cultores earum uniuersos? Superuacaneum est uti argumentis, quando per se res clamat ipsa. De me præcipuè ut sileam, experto milliès eiusmodi notas beneuolentiæ, vel vnum specimen illud, quod recenti Pontificatu dedisti per hos dies toti Collegio Ro: Sapiëntiæ simul collecto ante sacros pedes tuos, abundè facit fidem. Nobis enim, perbenignè accitis, post amantissimè, supra quàm dici possit, admissis in præsentiam, Deus bone! quali vsus oratione quantam curam atquè æstimationem doctrinæ & virtutis ostendisti: tum ad extremum benedicendo dimittens, ut animos faceres,

O P E R I S

pretium singulis eruditionis annum, ex dignitate ac merito cuiusque, regicè prorsus adauxisti. Quo solo facto, aliud vt abesset omne, satis constat, sublatum è Quirinali monte signum à te iam tum fuisse, quo disciplinarum cum doctores tum candidatos ad Encyclopædiæ serium studium atquè cultum, & quæ hùc conferri debet, alacritatem exsuscitares.

Habebis igitur abs me pro virili parte librum istum, aliorum nouem Tomorum varij atquè dissimilis argumenti & styli prodromum, in pignus & testimonium properæ nostræ obtemperacionis æquissimæ voluntati tuæ. Quin cœteri Collegæ suo deinceps singuli officio satis itidem facturi sint, nullus dubito. Quod ad me attinet, adornaui equidem hoc munusculum Sanctitati Tuæ, quasdam veluti primitias, ineuntis anni debito tempore consecrandum, vt prospera tibi, & à te, captarem auspicia. Nequè id temerè sanè, si placet aduertere, nequè omninò ineptè. Siquidem primo anni mense sacrorum primitiæ Iano, frugum autem Apollini Delio reliquis sine discrimine offerebantur. Iàm de Apolline res ex ijs, quæ dixi suprà, est indubitata; quî verò sacrorum oblatio Tibi conueniat sacrorum omnium Antistiti, quis non videt? Mirè apta inter se videntur cohærere singula, dummodò sacram
sine

D E D I C A T I O .

sine offensione Religionis liceat poësim
 appellare. Quippeni fuerit fas? si proindè
 dicimus, vti sancti ab Ennio poëtæ vo-
 cantur.

Itaque (vt in vnum aliquandò conclu-
 dam omnia) frugem hanc, BEATISSIME
 PATER, siuè fructum quantumuis exilis
 ingenij mei, collectum ex messe sementis
 complurium annorum, humillimè pro-
 stratus ad pedes do, dico, addico Sanctitati
 Tuæ. Est illud quidem perexiguum dona-
 rium, nec tantæ maiestatis aspectu fortassè
 dignum; nisi à rebus alijs, quæ circumstant,
 commendaretur: dedicatione primùm Se-
 cundæ partis, quò totus Horatius perfectè
 prodeat adumbratus, quam LEOPOL-
 DO (vide quo loco habeam hominem,
 vel sic, inter vos diuidendum) destino
 propedièm, ex ipsius voto & concessu, Cæ-
 sari Augusto; deindè labore improbo at-
 què assiduâ contentione corporis & ani-
 mi, quibus ægrè id tandem extudi: vt mi-
 hi certè in eo munere purum putum Ex-
 tractum (sicuti loquuntur medici, nequè
 aliud verbum occurrit significantius) fa-
 cultatum mearum, atquè adeò meipsum
 ad assen videar præsentare. Et tamen tot
 cumulatus diuinis beneficijs nihil asse-
 quor; denuncio palàm cum Græculo poë-
 tâ olim illo ad Octavianum; Si plus ha-
 buissem, ô Sebaste, plus dedissem. Tu pro

CA

a 6

tuâ

OPERIS

tuâ incredibili benignitate, summaquè illâ clementiâ tam propriè tuâ, vt etiam indè nomen contraxeris, nostram hanc audaciam æqui boniquè consule; sic iure mancipij & iure nexi iamdiù obligatam, nouo veluti iniecto vinculo, oppignerare porrò volui in perpetuum seruitutem meam atquè reuerentiam. Deum Opt. Max. enixè rogo, vt Te orbiꝰ bono diutissimè seruet incolumem.

SANCTITATI TVAE

Deuotissimè addictus

I. A. Ghibbescius.

In Tuâ Vrbe, Kal. Ianuar. 1668.

A D.

A D
L E C T O R E M.



AM vidisti frontem, legisti
etiam Odam primam libel-
li nostri: progressus fortè
longiùs inuenisti, mi Le-
ctor, res alias plures mini-
mè specioso titulo ad amussim respondere.
Non continuò, si me minùs seruum pecus of-
fenderis, negare debes imitatore, aut, in-
dictâ causâ, Horatij ipsius acerbo sanè
aculeo,

Quid dignum tanto feret hic promif-
for hiatu,
veluti Thraasonem configere. Quid autem
dixi, quid uè pollicitus in me recepi tan-
tum, ut illud omne (si perindè intelligis, ut
ego ipse cogitans scripsi) non & praeclarè su-
stineam, & ex fide præstem? Cùm profiteor
opellam me ad Horatianum exemplar ede-
re conformatam, caue putes venisse in men-
tem conari unquam (noui scilicèt inter an-
serem & olorem quid intersit) contestatâ
stultissimè lite, Romanae fidicinem lyræ, Sapphûs

phûs

P R Æ F A T I O

phus ac Pindari merum genium, de possessione Heliconis cantando remouere. Testudo aquilam, pumilio gigantem vicerit citius. Et meherclè, quod ille de Pindari amulo pronuntiabat, idem ego periculum, si altiulantem velim eum sequi, iure mihi metuã, --- vitreo daturus Nomina ponto. Sua sibi Flaccus habeat sine riuali, orationis magnitudinem, elegantiam, celsitatem, diuinitatem. Optimum factu erit, opinor, alienã frui insaniam. Ego, quantum ad me, inuideo quidem, sed intra pelliculam, ut dicitur; nam cum oratore Græco secus aliquantò pruriente, ἐκ ὠνῆμαι τοσούτου ματαμέλειον. Seriem rerum, ordinem librorum, odarum numerum, speciem versuum, similem deniquè formam Lyrici voluminis proposui duntaxat, quod unã facile manu comprehendi, fortuito oculi coniectu perspicere, & si cordi erit, in sinu circumgestari leuissimè posset.

At in limine defecisti, inquires: quo enim modo versus primus omnium tuus cum Horatiano, Mecœnas atavis, cõcordat? Notatum est rectè: & non concordat, fateor: hand tamen id errore, sed voluntate factum.

AD LECTOREM.

Itum. Ut nimirum imperator exercitus, quoquo loco consistat, nunquam extra ordinem stare putandus est; à legatis, tribunis, centurionibus, accensis, & militibus id exigitur: ita, qui rerum humanarum fastigium diuinarumque arbitrium est affecutus Pontifex Maximus, talis praesertim, qualem summo Dei misericordis beneficio nuper obtinuimus, nulli prorsus loco assignari à me quasi certo & definito debuit, sed permitti sibi; cum alioquin caeteri mortales omnes, ipsi etiam Reges ac Caesares circumscriberentur. Agè porrò, vide sis, & obijce si potes Odas alias. Verum dari unum mihi concedique vicissim abs te postulo: librum Horatij, deprehendere me gestiens ut sumas in manus. Aspice illum primò, inde ad me redi, reperies ut dixi locum, carmen, rem propemodum ipsam idem esse utriusque per totum codicem. Non inficior numerum Odarum haud ita exactè teneri, sed quandoque excrescere. Hoc improbas? perindè facis, ac si mensuram refutes cumulationem. Quod bonitati defuit, id hoc quasi corollario supplendum existimavi. Illud adeò lib. 1. od. 6. pro simplice, Scriberis Va-

P R Æ F A T I O

rio fortis, &c. habebis duplum; sicūt alibi etiam triplum vni reponere non graua- bor. Cæterum aduerte pressius, ubi se monu- mentum exegisse ait, ubi dialogum cum Lydiâ instituit, ubi Seculare canit carmen pro in- columitate Ro: Imperij, & alijs compluri- bus in locis, quid præstiterim, quanto viri cultu, quàm religiosa vestigiorum illius ob- seruatione; ut venaticus canis odorari non potuisset, aut sequi aucupium, nequè saga- cius, nequè diligentius: verbo ac ritu pro- fano omni ad Christiana sacra totidem penè syllabis, non modò versibus ijsdem, traducto.

Noli iam expectare, dùm causam ali- quam prætexam, ut fit, miseram & ieiu- nam, sepissimè etiam vanam & fallacem publicationi meæ. Odi enim putida illa: Nunquam cogitabam librum emittere. Scri- pseram hæc animi gratiâ ad fallendum otium, siuè ad condiendam occupationem. Mos amicis gerendus erat vel conuitio ef- flagitantibus. Non mea me induxit volun- tas, grauissima necessitas coëgit. Vin' di- cam semel? alia omnia mecum ipse reputa- ui. Libens ac volens istuc ego suscepi con- siliū ab annis triginta circiter inchoä- tum,

AD LECTOREM.

tum; hoc negotium inter negotia atque aliarum artium studia semper feci precipuum meum; idem quicquid est operis ad Umbilicum perductum, nullius suasionem, impulsu, auctoritate, sed meam tantum sponte motus, quod bonum tibi, felix mihi, fortunatum reip. literaria fiet, nunc denique peruulgauit.

Votum erat, quinimò mens eò tota incumbebat, Q. Horatio Flacco prodire quàm simillimum. Nescio equidem, at vereor citius, nè sub leonis exuujs ridiculam occultem simiam. Veruntamen des (amabò te) gloriola nostra hanc veniam: tanti est, apparere breui tempore talem vel Cumanis. Si popularè auram inueris, mi Lector, afflatu tuo, eris humanus; si verteris contra spirans in turbinem, cynicus. Elige nunc tu, utri horum te similem esse malis, Titi alicuius, an Menippi. Atque ista ferè in antecessum prefari libuit, huiusce nostri ut libri ratio tibi constaret uniuersè.

Vale, proque epistolis, sermonibus, & satyris, (altera parte Horatii) expecta Secundum à nobis volumen Carminum diuersi generis in utraque linguâ, quod mox, ut
alibi

PRÆFATIO

alibi moneo, iam confectum & paratum
consequetur.

Roma, ex Museo meo, & si quid me vis,
in AEdib. Iustinianis. prid. Idus Decembr.
∞ . IOC. LXVII.



AUCTORIS

VITAE EPITOME,

ex magno Opere Illustris: Viri,

D. CAROLI CARTHARII,

Consistorialis Advocati,

cui titulus, DE ROMANO ATHENAEO,
decerpta.

IN Magnae Britanniae Insula, quam Angliam nuncupamus, primaria ciuitas eminent, quae Troiae nomen in suo natali sortita, Romanorumque Colonia effecta, à Ludo siue Luddo Principe, eiusdem urbis restauratore, Londinum deinde dicta est. Eo sub caelo Guilielmus Ghibbesius & Maria Stonora, ille Bristolius, haec Oxoniensis, laudandi Scriptoris nostri progenitores, domicilium posuerunt: sed Iacobo Rege religionis causam postmodum ablegante, patrium solum in Gallicum aliquando commutarunt. Anglum igitur origine, Gallum ortu IACOBVM ALBANVM GHIBBESIVM tibi exhibeo: qui demigratus in orbem, in sacro baptismatis lauacro IACOBI nomine, ALBANI autem in sacro chrismate, ad honorem Angliae protomartyris, appellatus est. Nono circiter anno à parentibus vocatus, iter in Angliam iniit, quod & ipsi ab exilio profecti, patriae post annos vndecim restituti, paulò antè remeauerant. Hinc quasi perpetuo peregrinandi studio GHIBBESIVS Vlysses imitatus, velis equisque (vt aiunt) ad Sapientiam contendit. Belgio quippè, Hispaniâ, Germaniâ, nostraque Italiâ peragratis, ijs in singulis vel orna-

men

A V C T O R I S

mentum literarum, vel clarorum illustriumque virorum
amicitiam collegit, vel

----- *mores multorum vidit, & urbes.*

Romæ denique, in hac, inquam, luce orbis terrarum, atque omnium gentium arce, tanquam ingenij theatro, virtutis & gloriæ cursum cum pede, pedem cum mente (tamen poterat mentem) figendum sibi duxit. Urbanus Octavius, immortalis memoriæ Pontifex, regnabat; cuius anno ultimo exeunte, GIBBESIVS Urbem aduenit, ætatis annū agens vigesimū octauū: vbi perpetuò (decem si exceperis supra vnum annum menses, quibus à Francisco Mutinæ Duce ad Almerici filij eruditionem ingenti mercede euocatus, Romā abfuit; ob inualetudinem tamen diutiùs, quin rediret, perseuerare non poterat) in clientela & comitatu Bernardini Spadæ, purpurati Patris ac literarum amantissimi, vsquè ad ipsius Cardinalis obitum, familiarissimè vixit: quo defuncto, Iustiniani Principis patrociniū expertus est, atque experitur. GIBBESII dotes animi eximias, ornamenta, & scientiarum hinc recenserem, nisi Cardinalis ipse calamus easdem ad viuum expressisset in epistolâ ad Mutinæ Ducem transmissâ, huic libello attextendâ. Mutinam adiuit, sed ob aduersam, vt indicavi, valetudinem ibi diù manere non valens, Romam redijt, quem Dux nihilominus non impari vel præconiij gloriâ, vel muneris, cumulauit reuertentem. Verùm regnantis ALEXANDRI VII. Summi Pontificis, in bonas artes propensissimi, munificentiam expertus est: cuius nutu, defuncto Henrico Chifellio, magni nominis viro, literas politiores in Ro: Sapientiæ Lyceo per septem lustra professo, GIBBESIVS ad viduatum suggestum anno 1657. euectus est. At quàm egregiè munere sibi demando perfungatur, Vrbs ipsa erudita loquitur, plurimæ incessanter editæ lucubrationes comprobârunt, edendæque plures attestabuntur. Viuit in orbis Regiâ, staturâ nequè procerâ nequè exiguâ, corpore gracili, aspectu nobili, incessu graui, colore albo, capillis flauis, oculorum obtutu non lynceo, quinimò specillum præstò est identidè; totus in studijs, in laboribus totus, ignotus nemi-

V I T A .

nemini. Paucæ hæc de IAC. ALB. GHIBBESIO, tãquã
 de singulari homine in cyclopædiã omnium scientiarum
 ac doctrinarum versatissimo, perstrinxi, vberiori calamo
 vitam eius alibi profecutus . Vbi cum omnes antè acce-
 ptos honores virtutis ac literaturæ nomine copiosè de-
 claravi, tum luculentissima principum virorum præmia
 Lyrae eiusdem ob excellentem in re poëticã facultatem
 expresse posui, quodam veluti inter reges instituto gra-
 tificationis & magnificentiæ certamine, delata . Sed for-
 tunæ muneribus hoc loco (vt breuitati consulam) præter-
 missis, quæ in nostro *De Romano Athenæo* codice pleniùs
 legi possunt, illud solùm præclari ingenij honestamen-
 tum veræ virtuti debitum expromam, LEOPOLDI Imper.
 semper Aug. diplôma Romam ad eum cum torque au-
 reo & numismate nouissimè missum ; quo GHIBBESIUS
 Laureatus Poëta Cæsareus vltro quidem, honorequè post
 Petrarcham adhuc concessio nemini, fuit amplissimè pro-
 nunciatus . Id quod oprimè intellexit sapientissimus Prin-
 ceps CLEMENS NONVS Pont. Max. peramans
 vatis nostri & antiquus patronus, quippè cui
 in præsentiam ad osculum sacri pedis ad-
 misso tantæ rei gloriam (iam enim
 innotuerat ei factum) singu-
 laribus verbis haud est
 postea dedignatus
 perquam
 humaniter gratulari . A cuius adeò ipsius animo
 plusquam Cæsareo, in literatosquè omnes
 supra fidem propensâ voluntate, nihil
 ita amplum esse videtur atquè
 magnum, quod præcipuo
 quasi iure sperare ille
 non possit .

* * *

Im.

Imprimatur,
Si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sac. Pal. Apost.

M. Episc. Ariminen. Vicesg.

APPROBATIO CENSORIS.

Poësin hanc lyricam Cl. V. Iacobi Albani Ghibbesij, iussu Reuerendiss. Patris, S. P. A. Magistri, accurate percurri; agnouique usque ad eam emendatè Poëtam cecinisse, ut si mores, si pietatem spectes, nihil seueriori reliquerit supercilio vindicandum, nihil fuderit, quod premere censorius unguis possit. In carmine verò, quod nitore, quod cultu, quid hoc ingenio styloque limatius? Dices profectò aut ab eius calamo munditias fluxisse Musarum omnes, aut informasse lyram Stesichori lusciniam, aut quid grandius insusurrasse auribus apes Pindaricas. Certe Horatianis modis ac elegantijs tam propè accedit, ut rem ad lancem si reuoces, facile tibi persuaseris, Horatium fuisse superiorum temporù Ghibbesium; Ghibbesium nostri huiusce cui Horatium. Quod citharis accidit, si respiciant sese mutuo, ut uno eodemque concentu altera alteri assonet; id sanè de Venusina & Ghibbesiana veriùs dices. Fides respondent fidibus, metra metris, numeris numeri; par utrique gratia, venustas, granditas. Sed hæc præstantium ingeniorum iudicia luculentius comprobauerint. Interim per celebri huic Muse augusta inuicti Caesaris munificenti laureate plausus atque amores omnium intimè gratulor. Rome, in edib. nostris Quirinalibus, III. Idus Septembr. M. DC. LXVII.

D. Ioseph Silos C. R.

Imprimatur,
Fr. Hyacinthus Libellus Sacri P. Apost. Magister.
I A C.

tion
u
b
2
u

efij ,
ccu-
etam
riori
quod
qua
Di-
Mu-
ufci-
Pin-
m
ibi
Ghib-
Quod
o eo-
enu-
u fi-
gra-
enio-
per-
icen-
gra-
Idus

C.



AN. AETAT. LV.
IACOBVS ALBANVS GHIBBESIVS
POETA LAVREATVS CÆSAREVS.

*Tot pro GHIBBESIO certabunt regna, quot vrbes
Civem MOEONIDEN gberuere suum.*

Athanas. Kircherus H.C.P.

Eques Petri Berreslianus Cortondelin.

Alb. Clower incid. Romæ.

IAC. ALB. GHIBBESII

POET. LAVR. CAES.

LYRICORVM LIBER PRIMVS.

AD CLEMENTEM IX.

PONT. OPT. MAX.

RECENS CREATVM.

ODE I.

Augustissimam eius inaugurationem commendat, non spe tantum, & ex umbra vaticinij Sidus Oloris futuram, sed etiam reapse diuinum venisse Cygnum ex Helicone. Deinde ad alias eiusdem procedit laudes singulares.



Venit albâ Numinis alite

Fatale carmen, Sidus Oloris : hoc

Instabat appictum cubili ;

Hoc tacitis dabat antè signis

Orbis parentem . Quid, quòd apertiùs,

Ambage missâ , ROSPIGLIOSIVM

Dulci salutârant Camœnæ

Ore cycnum, tremulôque plectro ?

Sed non, vt olim, fas erit eloqui

Gentile nomen : se videt alterum

Iam dedicatus : nec Quirino

Romuleæ placuere voces

Diuum sodali : sic Icelon colit

Idem Phobetor ; Leucotheæ sibi

A

Mu-

Mutata nymphæ cedit Ino ;
 Xanthe, parem refugis Scamandrum .
 Haud res easdem cælicolæ expriment
 Verbis eisdem . Differimus modo
 Plerumquè sublimes & imi
 AËtheream celebrare gazam .
 Nobis vocatus nomine IULIUS ,
 Auctoris alti sorte vicariâ ,
 CLEMENTE vertis, (sic Tonanti
 Perpetuo, placitumquè stellis)
 O NONE, suppar cui nihil, aut prius ,
 AEquale quidquam continet ambitu
 Diffusa tellus, iusti honoris
 Promeritis, solidâque laude .
 Claram & fidelem iudicij notam
 Hic ipse de te prodidit aureo
 Mensis lapillo, cùm magistrum
 Purpureus legeret Senatus .
 Cùm tu decoris arduus infulis ,
 Pallâque fulgens, & lituo graui ,
 Supremus exires Latinum
 Missus in imperium Sacerdos .
 Hinc, vndè rector nosceris vnicè
 Custosquè mundi, seù gladium incidit
 Vibrare Paulli, seù maritas ,
 Arma Petri, soluisse clauis ,
 Verendus æquè . Te genibus minor
 Plebs sanctum adorat, te tumidi pauent
 Ducesquè, Regesquè explicantem
 Tergemini sacra signa regni .
 Nam quid tiaræ iure valentius
 Partes in omnes, si benè creditur
 Recto pióque ? imponet axi
 Fræna; nigros quatiet recessus .
 Nil mirum, & istos terrigenûm greges
 Si voluat vnâ . Rex decus hospitis
 Nôrat Philippus, nominandam
 Quandò dedit tibi Margaritam .

Iam tunc Iberæ mysticus vt pater
 Gemmæ, capacem fingere cœperas
 Lustrando fortunam Parentis
 Aufoniæ dominantis vrbi.
 O meta votorum alma, Quiritibus
 Extorta flexis ! ô genus imperi
 Cœleste ! mensis ô beate,
 Qui cumulas bona cuncta, Iuni.
 Fies fauentum tu quoquè luminum,
 Addenda fastis lux Capitolij ;
 Lux pulchra, festiuæ creatrix
 Latitiæ, calidiquè plausus .

AD ALEXANDRVM POLLINVM.

*Detestatur anguillam, quam Comaclij ederat, causam
 grauissimæ nephritidis .*

ODE II.

NE quærant rigidi saxa triumviri,
 Neù scalam gemitus, neù corium bouis
 Damnato capiti ; vel miserabiles,
 Expectare velint aut Scyron exules
 Infamem scopulis, aut grauis Olbiæ
 Sardöas nebulas, aut loca Pontica .
 Mortes sufficiet Lerna Comaclij,
 Serpentum genitrix, pectoribus pares ;
 Seù mactare diù, seù breuis incidit
 Tormenti pietas, lædere dextera .
 Horum, pròh Superi, viscera ciuium !
 Væ mi, quæ misero spicula lancinant
 Ventrem ? quod stomacho virus inhorruit,
 Motâ bile furens, fellea concito
 Vt cogat vomitu reddere flumina ?
 Anguillæ tumidam nomine coniugem
 Demisi colubri ? nùm memor indolis
 Eruptura latus findere vipera

4 IAC. ALB. GHIBBESII

Lucatur, solido dente ferocior?
 Infelix perij, quicquid id est. Malo
 Certè saga dapes Thessala fascino
 Condiuit, vel acus pungere ductiles,
 Pistiuè apta vitri fragmina rodere
 Supponens, fluidis inuida lancibus.
 Non tantus Meleagro hauserat ilia
 Languenti dolor ad stipitis exitum
 Fatalis: neç erat tam ferus hospitum
 Mensor cum trabibus latro Corinthius.
 Me percellit adhuc supplicij genus
 Quamuis præteriti, bellua cum loco;
 Aeternaque odium nutrit imagine.
 Qui te pro placidi dotibus ingenî
 Non, POLLINE, colit gnauiter, hoc precor
 Vesçi possit iners angue Comaclij,
 Pœnas & similes pendere Gratijs.

FERDINANDO FVRSTENBERGIO.

*Qui carmine deflebat Sidronij Hoffschij, præclari poëtae,
mortem.*

O D E III.

Gloriam quisquis iaculatus ultra
 Orbis ignotas penetrauit oras,
 Quid mori cessat, grauiore tantum
 Parte superstes?
 Optimum nostri bona, crede, fama est:
 Spiritus magni soboles inertem
 Corporis glebam fugit, ac beatos
 Occupat ignes.
 More præstantes subiêre tali
 Culmen herôes Superùm; reductos
 Sic tenent clari, loca lata, campos
 Carmine vates.
 Hoffschius laudis, meritique plenus

Vixe-

LYRICORVM LIB. I. §

Vixerat Phœbo fatis : ille dudum
Nomen, emenso Phœthontis axe,
Protulit astris .

Cessit hinc iussâ taciturnus horâ,
Impotens quicquam cumulare maius,
Fas erat, quandò requieuit actus,
Claudere scenam .

Tu, velût crudam cecidisse fructum
Mollibus cantas elegis, & atram,
Et feram semper rigido laceffis
Nomine Parcâ .

Nosquè lamentis, miserâquè casu
Sortis admisceas, chorus æger vnus :
Nos & iremus (modò res vocaret)
Flere sodales .

At grauem planctum facit ipse ludos,
Ore cœlestis, nimiusquè tangi.
Nænam læto, bonè FERDINANDE,
Verte triumpho .

AD ALOYSIVM CARD. CAPONIVM.

*Literarum monumentis vel præesse, vel fauere Princi-
pes, decorum maximè atquè regium. Hinc ei de Va-
ticane Bibliotheca noua prefectura gratulatur.*

O D E IV.

Fluxi strenua temporis
Vindex, præcipiti sidera Pegaso
Ad nos, Mnemosyne, seca, &
Regnum nosce tuum, Castalidum parens .
Debebis nihil ætheri,
Contempto potius numen Apolline,
Ascræi populis iugi,
Doctas inter amans ludere virgines .
Quantum afflare grauis potest
Vir mutis animum corquè scientijs

5 IAC. ALB. GIBBESII

Blandi luce supercilii :
 Sudum Musa cupit : nubibus auolat ,
 Turbato minimum Deo .
 Sed cur ex oculis illa Quiritium
 Posthac deliteat, duce ,
 Auri qui reuocat secla, CAPONIO,
 Tusci ritu equitis ? cui
 Si Cæsar poterat, vini quoque sufficit
 Illi non minor arbiter
 Tyrrhenis etiam regibus edito .
 Vno, credo equidem, situ
 Astrum vtrumque tulit, non populariter
 Nascentes hominum bono .
 Troianas quis opes, & miserabilis
 Sciret funera Pergami ,
 Romæ principium; vel facies nouas ;
 Aut hoc, quid Latium lyrâ
 Possit : ni calidam prodigus indolem
 Mecænas liquido Ioue
 Munisset iuuenum ? Mincius vt rubrâ
 Sub gazâ gemeret, nequè
 Pomis Hesperijs Angitiæ nemus ,
 Lydonè Aufidus agmini ,
 Riparum pretio cederet insolens .
 Gaude sorte, Pater, tuâ ,
 Et virtute pari. Tu, cumulos super
 Laudum, primaquè munera ,
 Defert Ausonius qualia Pontifex
 Raris Consulibus, toga
 Quos bis tincta beat murice Punico ;
 Post Quæstoris onus pij
 (Pleno curta fides à numero venit
 Plerumquè) vt foret omnibus
 Mirum : post saturæ iugera Felsinæ
 Leges culta per optimas ,
 Illic dante Numæ sceptrâ vicario :
 Defunctusquè pedo sacer
 Pastor præcipui, quâ patet Adria ,
 Templi

Templi, non sine tænijs :

Tu poni columen reris honoribus ,

Extremamquè operi manum ,

Si Musarum adytis futile segregeſ.

Vulgus, nec celeres pati

Dammum stare ſinas Mercurialium

Libros, reſſiquias virùm ,

Blattis, aut pluteos rodere muribus .

Ergò præbuit INNOCENS

Voto candidam Auem, nunc dominam imperi ,

Cùm te Socratici laris

Cuſtodem ſtatuit, Petrus vbi arduis

Cœlum molibus imperit .

Quoquo Palladio nomine cœtui

Proſis, Iupiter es : parùm

Doctrinæ auxilium diſtat : inertiam

AEquè, qui renuit potens

Tutari, fatuo gentibus indiçat :

Aſt hunc poſteritas minùs

Vexabit . Moritur fur homo, vel Deus ,

Obſtrictus generi ſuo .

Magnis cultum, & opes addere paginis

Regum eſt ima negantium .

Olim cauerat hoc mens Prolemæica ,

Eius, cui placidum dedit

Nomen fratris amor, Memphis adorem ?

Regnamus : tamen impia

(Dixit) nùm Lacheſi parcior it colus ?

Nùm noſtri refugit metu

Crudelis Libitina, & Styga protrahit ?

Früſtrà : par mouet amphora

Cunctos; prima vehit nomina portitor .

Quòd ſi nec ſolij decus ,

Nec centum Phrygijs pendula poſtibus

AEdes, nec chlamys aſpera

Signis barbaricis perpetuat diem ;

Non æ vultibus oblitum ,

Incifaue çauis Pyramides notis ;

Cur æui spatium breue
 Non tendo meritis, atquè nepotibus
 Viuam linquo potentiam?
 Cur Nili calamis demoror ampliùs
 Adscribi patriæ pater,
 A Eternum validis fallere seculum?

AD FRANCISCVM MAIDALCHINVM,
 CARD. ADOLESCENTEM;

Phantasticorum Academia electum Principem.

O D E . V.

P Vrpura quid præstat, clarum genus, aut acervus auri,
 Sedesue toto fulgurans Hydaspæ
 Trans famuli sublata caput gregis, ambiente summam
 Stellante peplo, flore gentis imam?
 Id nempè, vt densâ videant face subditi potentem;
 Tendatur index; confrematur, Hic est.
 Sed bona, quo fremitu, fit cautio: sibilantis, annè
 Plaudentis isdem vocibus cateruæ.
 Actus habet varium tantummodò. Sapiùs fit index
 Infamis, & laus stat probrosa nasi.
 Atquè irâ suspendisse Midam Phrygas asserunt onagrini,
 Pellamquè doctos extulisse reges.
 Flamma est, crede mihi, diues gradus: vt lucerna noctem,
 Externa sic hæc explicant recessus
 Pectus humani, ponuntquè palàm latentis acres
 Virtutis ignes, indolisue culpam.
 Solem ex luce verat quid cernere? Principemquè in ostro
 Ardepte celsum mundus intuetur.
 Viderit ipse oculum. Nos te tamen, hac virentis æui
 Gemmâ, Sororum præsidem stupemus,
 MAIDALCHINE, nouum Phœbi decus, arbitri prioris;
 Diuinquè proni muricem veremur.
 Obscuro posthâc discrimine nos Apollinare
 Mutâsse numen sentiemus omnes.

HYRICORVM LIB. I.

Vt iuuenis fuerit semper Deus, ac poësis auspex;
Impubis & tu, fautor & Camœna;
Illi si Vranie, tibi Olympiâ barbiton canoris
Aptare neruis, & modis renidet.

AD S. FRANCISCVM DESALES,
EPISCOPVM GENEVENSEM.

*In eius Apotheci ab Alexandro VII. P. M. ritualibus
ceremonijs effata, celebratâque in basilica D. Petri,
19. April. 1665.*

ODE VI.

I Am plenis rutilat clarus honoribus,
Maioriquè iubar fulgure proiecit,
Solis more librantis
FRANCISCVS medium diem.
Talem quippè, fator terrigenâm, Deus
Finxit sepósito cautiùs è luto
Cœli Herôa futurum;
Talem credere tradidit,
Solenni rosæ lampade gloriæ,
Præuectum populo sidera Pontifex;
Cui stat limen Olympi
Toto mobile cardine,
Quo mens cunquè volet nomine vertere;
Seu fontes abigit, siuè merentibus
Dextrâ clauē recludit
Axem cœtibus aureum.
Hoc te iure sacris conspicuum infulis,
Baçcato lituo, & puniceâ stolâ
Immisit, bone Pastor,
A Eterni indigetem poli.
Lux, nec mensis erit post Cytheræius;
Mutat festa dies turpia candidis;
Longè Flora facestat,
Cum Baçcha valeat Ceres.

Hinc

10 IAC. ALB. GHIBBESII

Hinc diuina virum flamma dabit graues
Aprili tirulos, sanctior aspici :
 Ducit Paula Kalendas,
 Idus proferet Allobrox.
Quam dispar Veneri copula caelitem .
Franciseis vt vtrisque altera gratia .
 Illum Roma dicauit ;
 Nunc signat minio nouum ,
Fastorum memores quò moneant libri
Instaurare decus thuribus annuis .
 Ambos Gallia plaudit
 Dulci mittere de sinu .
Centum parte aliâ sibilat anguibus
Fœdo Lerna lacu : Lerna SALESIO
 Quantum infensa Lemani ,
 Victori velut Herculi .
Frustrâ : nam meritas hoc magis aggerat
Laudes, ætherei præmia pectoris ,
 Liens vt crepet Hydra ,
 Mitis Relligio modis .
Virtuti geminos addere turtures
Prægestit, niueæ ternaquè lumina
 Cera ; congrua factis
 Argumenta nitentibus .
Vt Petri superant enlmina turtures ,
Et splendent vario fornice lumina ;
 Sic te, SANCTE, sequemur ,
 Lactisquè & facis æmuli .

AD GVALTERVM ASTONVM.

*Quandò secunda iam legatione apud Hispania regem
perfunctus redibat in Angliam .*

ODE VII.

F Elicem dubijs haud ego nutibus
Regnotum impositum gratulor exitum ,

Diu.

Diuisumquè teneri
 Constanti populum fide
 Non regem Hesperium, & purpureæ togæ
 Fratrem, quiquè Aquilas imperij tenet
 Per te cautus amicos
 Nostræ laudo Britannia
 Phœbumquè occiduis fluctibus emori
 Ac nasci temerè; cum Thamesi Tagum
 Vno pendere sensu
 Vestigalia Nereo
 Ingens consilium, & mentis opus tuæ
 O GVALTERE, sacrum. Facta perennibus
 Scalpentur monumentis
 Et fasti memores canent
 Nos iucunda soli, nos falis æquora
 Optamus redeunti, & facilem Iouem
 Largiri tibi soles
 Albos, claraquè Delia
 Semper cornua; seù rita perambulas
 Hispanæ Cereris, seù liquido patri
 Gestis credere pinum
 Gratam seù teris Angliam.

ALMÉRICO ESTENSI, PRINCIPI,
ALYMNŌ SVO.

*Valentiam Cispadanam à Francisco patre, Mutina
 Duce, gloriose expugnatam gratulatus, herōis eum
 tanti exemplo ad laborem, ac veræ virtutis laudem
 incendit.*

O D E VIII.

V Allum rupit iò victor, & Insubrum
 Ignoras Aquilas mœnibus intulit
 Arma interquè tubas, raucaquè tympana
 FRANCISCVS, grâtiis aspici
 At nunc compositò pectoris impetu
 Decedant fidibus glassica Lydijs
 Illud,

Illud, Musa, mihi porridge barbiton,
 Tantæ carmen adoreæ
 Dignum dicere, quo Terrigenam fugam
 Pæan magnanimo concinuit Ioui,
 Aut vis AEacidæ tollitur, aut sacrum
 Raynaldi proavi decus.
 Raynaldus sobolem tentat ad ardua
 Sempèr; Solis uti rex volucrum genus
 Obuertit radijs. Plurimus hinc domo
 Creuit Cæsar, & Hercules.
 Nec tali sapiens desit origini
 Alphonfus, nec erit nominis indiga
 Francisci pietas, iura volentibus
 Hic dum vir populis dabit,
 Princeps iure triplex, Mercurij modo,
 Quem Memphis coluit. Pulvere collini
 præfert ipse tamen corpora Martio,
 Regum insignibus aureis.
 Hæc mentem, memini, pacis in otio
 Pascebat species, cum iaculo horridus,
 Castrensiquæ sago, rettulit asperas
 Prædas montibus auis.
 Felix, egregiam cui bonus indolem
 Affudit genitor! non humiles agit
 Curas; usquæ mouet maxima; congenen
 Ignis ceu petit æthera.
 Te talem, alte Puer, seminis æmulum,
 Sicut spem Latij Tros pius alteram,
 Vel claris Mæcedo laudibus inuidum,
 Estensis genuit parens.
 Audi, facta patris quò tulerit metu
 Pellæus iuuenis, non sine gaudio
 Doctoris, properi lumina tergere
ALMERICE, madentia
 Ergò cuncta metet dextra, Philippica?
 Nostris nulla seges surget honoribus?
 Quas nato fereret, pro pudor, undique
 Lauros is prior occupat?

At no-

At nostrum omne lucrum: stertere scilicet
 Nostrum est. Qui domuit, pleniùs imperat.
 Heu! mundum breue opus vincere; tu mihi
 Orbes, Iupiter, obijce.

Laudatos gemitus vt premeret senex,
 Mundos, vanus ait, Democriti tenes
 Dulcis mille puer: mille tibi cadent
 Magno purpurei duces.

ALMERICE, vides (cura mea, & decus)
 Albos patris equos cîre Valentiam:
 Pompam tu Solymis hanc imitabere,
 Majorum imperij sequax.

AD LVCAM HOLSTENIUM.

*Optimum, vt in humanis, statum esse aegritudinem, quæ
 nos facit optimos, quamdiù habet infirmos.*

O D E I X.

ME nuper stans admonuit languentis amici,
 Corda hominum tum deniquè recto
 Viuere amica magis, superisque affuescere rebus,
 Morbo dum, macieque premuntur;
 An quia carnis inops mens explicat aptius alas,
 Et patrios consurgit ad ignes,
 Exilij impatiens, terræ damnata sodali?
 Infirmos circumspice cœtus,
 Quos dolor affixit pigro febrisque cubili:
 Ecquem non sano meliorem,
 HOLSTENI, inuenies, & versis sensibus æquum
 Coelicolis præstare saluti
 Vt videatur morbus ob hoc, quod sit gradus axis,
 Et vitæ certa artha beatæ.
 Hunc & auaritia, & lucri scelerata cupido
 Nil mouet, aut spurcissimus ardor
 Discinctæ Veneris. Non seruit amoribus ille,
 Ambitos nec curat honores;

Temnit

Tennit opes . Quamuis fortunæ munera parua ,
 Quippè relicturo, fatis ampla .
 Tunc regnare Deum, mortales ire minores
 Scit pallens, ac scire fatetur .
 Pectore lior abest, poterat qui causa laboris
 Esse noui, fraternaquè turba .
 Vindicta, atquè odium; ventri referendus eidem
 Et metus, & simulatio turpis .
 Despiciit vt nullum, sic nec miratur : acerbis
 Obliquat rumoribus aurem ,
 (Sirenum scopulos qualis vitauit Vlyffes)
 Cuncta prior laudare paratus .
 At rigui fontes, at balnea frigida curæ ;
 Vsta sibi quæ somnia febris .
 Tantaleo trahit ore, natat seù sicciior hydrops .
 Hæc oculis, hæc obuia menti ;
 Votorum hæc summa . Instantem produçere quòd si
 Detur in altera tempora Parcæ ,
 Quæ promissa facit, cyenum mutandus in album
 Ex coruo ! quæcunque superfit ,
 Nàm fore, vt apponat studijs cœlestibus horam ,
 Ciuis humi iam dignus Olympo .
 Ergò, Socraticæ prolixa volumina barbæ ,
 Chrysiippus virtutis alumnos ,
 Quod Plato, Pythagoras, & sancta docere Lyceæ
 Conantur sine fine sequaces ;
 Possum ego (des veniam) paucis, ô clare Sophorum,
 Id tibi commendare, mihiquè :
 Scilicèt incolumes pergamus degere, quales
 Attriti promittimus vltro .

AD VRBEM ROMAM:

*Non esse, cur sub Alexandro, Principe optimo, pestem
 ex vicinitate Neapolis multùm reformidet .*

O D E X.

ROMA, super ruinas
 Eminens Troiæ, veluti matris ab igne Phœnix;
 Sanguine, Roma, sacro
 Semper extantùm pugilum fideribus rigata;
 Præfide tuta, Roma,
 Nunc Alexandro, nimiùm cœlicolis amico;
 Dic precor, ora fletu
 Cur madent? passos miserè cur lanias capillos?
 Pectora cur ferire
 Pergis adductis (scelus heu!) exululans lacertis?
 Cur caput, atquè corpus
 Ater obnubit cinis, & crinis arat molestus?
 Quid metuis malorum?
 Proximæ nùm Parthenopes lethiferum vaporem?
 Parce metu, benignis
 Freta promissis Superùm; neq; Stygis arma contra
 Præualitura Romam.
 Si fidem seruas Superis inuiolata pactam:
 Si decus axis auges
 Ianitrix sancto populo, credita sola claues:
 Si domini vereris
 Ius Alexandri, nimiùm cœlicolis amici.

FABIO CHISIO,

S. R. E. Cardinali creato.

ODE XI.

CHISI, Latinis addite Patribus,
 Atquè eminentis lux noua curiæ,
 Vrbi probatum quem Quirini
 Virgineæ peperêre Senæ:
 Candore ab illo prouehis indolem,
 Moresquè firmas integer æmulos,
 Miscere sanctæ donèc Afrum
 Iustitiæ placuit colorem.

Sic

16 IAC. ALB. GHIRBESII

Sic alma plenam nobilitat Ceres
 Plerumquè messem, sic violæ rubent,
 Sic gestit autumnus racemos.
 Pingere, Crustumiosquè fructus.
 Abdi parumpet, non poterit diu
 Latere virtus. Emicat igneus
 Fulgor per vmbra, ceu corusco
 Sol piceas fugat ore nubes.
 Pacis sequestrum miserat Vbios
 Urbanus: alti semina pectoris
 Exerta per campos patentes
 AEthereum tetigere mundum.
 Ingens canora buccina gloriæ
 Vrbesquè, terrasquè, & procul insulas
 Arrexit omnes. Totus auris
 Orbis erat, modò lingua totus.
 Alterquè tandèm nomine Pontifex
 Pulsus, vocato grande palatium
 Concessit in partem, ac ministri
 Mox titulo, coluitquè fratris.

AD ANGELVM CVSTODEM.

ODE XII.

DIUE, periuris inimice turmis,
 Acer in partes Michaëlis alti,
 Cui locum fido dedit eminentem
 Rector Olympi:
 Te lyrâ cœli mediumquè terræ
 Concinam, vitæquè vagæ magistrum;
 Sedulum, nequid titubet, benignâ
 Ducere dextrâ.
 Te sequens olim, nisi perculisses,
 Belluam immanem fatiârat, vdis
 Dum sedet ripis, gelido lauandus
 Tigre Tobias.
 Quin & ardentem, duce te, çaminos

Veris

Veris experti Zephyros puelli :
Sicca non tactus Daniel leonum
Ora fefellit.

Tu genus nostrum superis adæquas
Ciuiibus, tutor bonus, atque vindex :
Post viam, longæ radiata pandes
Astra quieti.

IN BONIFACIUM VIII.

librum Ioannis Rufi, Abbatis.

O D E XIII.

TV, quandoquæ malis plura nitent ardua pectoris,
Virtutem vitio prætulervis, nubibus vt iubar,
Praui censor hebes. Cœa Venus non eadem placet,
Sed quam næuus habet. Vel maculis stat sua gratia ;
Et Solis roseis vmbra comes curribus infidet.
Caietanus erat (fac fuerit) nominis inclyti
Venator nimius, perquæ nefas ambitiosior
Romanæ cathedræ, dùm potuit subdere Pontifex.
At par imperio, par triplici mens diademati
Collaudanda viri, nequitiam rasit originis ;
Regnandiquæ dolos vtilitas postera mollijt.
Nam quis res populi, aut cœlituum, legibus, & sacris
Fundauit meliùs ? Iustitiæ scribere codices
Idem, per medium sancta Deo findere secula
Sollers ante alios. Sed quid ago ? RVFE, tuam legat
Verum scire volens Historiam vindicis optimi,
Rumpaturquæ legens inuidiâ Zoilus alterâ.

THOMAE SOMERSETTO,

*profapia regia Principi, despeçta seculi pompa, in sa-
gram D. Philippi Nerij familiam nomen danti.*

O D E XIV,

B

Cui

CVi lyram heroi, liquidamquè vocem,
Musa, prætentas ? agè, nil Britannâ
Dixeris lauro prius : eccè SOMER-
SETTVS honorem

Ambit, àn vitat, satiatus æui
Laudibus blandi, nimioquè fastu .
Ergò subduxit caput ; alta clausi
Fama refulget .

Abde virtutem ; velût umbra corpus ,
Gloria expandet, metuens fugari :
Inclytam stirpem tege ; fulgurabit
Lampadis instar .

Ille, seù cultu pietatis acri ,
Seù vetustorum serie parentum ,
Regius sanguis, sub vtroque duxit .
Nomina signo .

Cæteris magnus, sibi parvus vni ,
Victor incedit potiore curru ,
Aureo quàm si traheret ligatum
Axe Iugurtham .

AD STEPHANVM VAIVM.

De illius Magdalensæ pœnitente .

ODE XV.

AVritas licèt æsculos ,
Sylvarumquè truces Orpheus incolas
Versu traxerit, & lyrâ :
Quanquàm Bistonij vertere fluminis
Lapsum, & terribiles Noti
Buccas insolito pectinis aëre
Fas inflare fuit : licèt
Nigrantem poterat carminibus Iouem
Delenire : ferox tamen
Implacata sterit çantibus Euhyas .
Arrisit Furijs çaput ,

Heu !

Heu ! informe caput, nans sine corpore .

Tantum est, flectere sc̄eminam !

Dicam Threiciã maius adoreã ,

Dicam insigne, recens melos .

VAIVS Romuleæ gloria curiæ ,

Tyrrhenæ genius chelys ,

Postquã saxa, feras, duraquẽ robora

Vocali pepulit fide .

Saltare ad numerum, sapequẽ languido

Tybrin sopijt alueo ;

Postquã Tanariæ limine ianuæ

Pertæsum sceleris Reum

Vindex eripuit; Thracæ valentiũs

Flexit (credite posteri)

Supremo vitream carmine Magdalin .

AD THEM IN.

De munificentia FINCHIANA.

ODE XVI.

⊙ Quæ celsa Iouis templa tenes, **THEMI,**

Mater iustitiæ, cœlituum comes ,

Auratos, agẽ, nimbos

Gnato deplue **FINCHIO** .

Plenas ille manus fundere gestiens ,

Plenas vsquẽ ferat : iam vice duplici

Nostris prodiga lamnæ

Musis præmia reddidit .

Plenas vsquẽ ferat : crediderim breui

Tecturum pretio Pegasidum lares ;

Nec, quæ lusit ahenis ,

Moruram nisi Lydias

Chordas Melpomenen pollice candido .

⊙ & iuridiçæ vim sapientiæ

Sustenta, pia mater ,

AEquam pro trepidis reis .

B 2

Nempè

20 IAC. ALB. GHIBBESI I
Nempè hæc conspicuum sustulit æquitas,
Hæc & surget adhuc, & gradibus gradus
Parti annectet honoris,
Tantum rege minor suo.
Atquæ sidereis fræna iugalibus
Ponat ritè memor. Non humilis dedit
Exemplum graue furdo
Iniectus Phaëthon Pado.

OCEANI FELIX AVGVRIVM.

*Appulsum in Angliam, nuptiasque cum Carolo Rege,
Portugallie Infanti CATHARINAE gratulatur.*

O D E XVII.

NEptuno sociam cum veheret Thetin,
Pictâ Tiphys ouans classe, Britannicæ;
Vectigalis in hæc, Nerçidum choro
Plaudente, OCEANVS pater
Rupit verba. Bonâ veneris alite,
Virgo regia, quam stringere brachijs
Ardet noster herus, te cupidus parens
Dici coniuge Carolus.
Felicem facies, imperium quoque
Felix, & populos, ritè puerpera
Menses ante decent. Iam videor iocæ
Risum cernere mutui.
Posthinc ad patriæ culmen adorea
Scandentem, ac meritis frondibus inuidum
Mirabor iuuenem: Græcia ceu duos
Suspexit Macedum duces.
Aduentum properum distulerat metus
Nimirum ille tuis: nè foret Angliæ
Hæres atque pugil stirpe Brigantius,
Aut affinis Vlyssæi
Bellator, manibus, siuè opus artibus,
Decertare sagax: sic furor hostium,

Ven-

Ventorumquè minæ, spumaquè gurgitis
 Te moti pepulit vagam :
 Donèc tergemina terreo cuspide
 Auctores sceleris ; quâ tibi marmora
 Sternuntur dominae, turaquè corripis
 Plenis ostia linteis .
 O Nautis, tibi quas dixerit Albion
 Grates ; quæuè paret debita præmia ?
 Diuini merito muneris Insula
 Fortunata vocabitur .
 Nunquam dona tulit machina Pelias
 His æquanda bonis ; non similes Ligur
 Explorator opes imposuit rati,
 Gazam diuitis Indiæ .
 Insignem rutilo flumine crederis
 Exhaustisse Tagum . Iam precij minor ,
 Vt gemmâ caruit principe, liquido
 Non curat pede currere .
 Huc, huc ferta citi ; inducite aplustribus ,
 Et malo viridis stemmata gloriæ ,
 Lati Brutigenæ : magnanimo & nouam
 Rectori date lauream .
 Tu claratum etiam, Carole, nauium
 Fies, auspice me : notior vt mare
 Sulcet nulla Tigris, nulla superbior
 Centaurus variet sinus .

AD ALCIDIUM PHILELLENVM :

*aliàs Ioannem Cotunium Verriensem Equitem
 Herculeum Græcæ fidei propugnatorem :*

O D E XVIII.

○ Alba matris filia Delphicæ,
 Actæa virgo, quatenus, heu nefas,
 Iniurioso te Latini
 Dente, Fides veneranda, carpent ?

B 3

Quin

Quin peieratis ponis ouans modum
 Pœnamquæ linguis? Scimus, vt impotens
 Doli, puellam fraudulentam
 Arte suâ Patareus fefellit,
 Et iussit vti, præsciam inanitèr
 Troiæ cadentis. Sic decet impias
 Frænare mentes, atquæ in orbem
 Sæpè lupo reuocare duro.
 Frustrâ ferentes dona timebimus
 Graios; at ipsi ritè timebimus
 Nos, ò Quirites? nos maligni
 Argolicos superamus astus.
 Effare, primam, nuda Fides, tibi
 Quis struxit aram? cuius Achæicus:
 Quis te Palatinis dicauit
 Aggeribus, nisi Græca pubes à
 Tu veritatis, Deucalion bone,
 Insurgis anthon fortis, & hostium
 Compescis, ALCIDI, querelas,
 Herculeum meritis corymbum.

AD KENELMVM DIGBAEVM.

Nauis eum vehenti in Italiam, ipsiquè ad eam Romam proficiscenti Legato incolamitatem, remquæ benè gestam precatur.

O D E XIX.

I Am terra inertem vertet ouans vicem
 Gratis reducti veris honoribus,
 Floresquæ ripis mœx datura, &
 Arboribus sine fraude gemmas.
 Mitescet aurâ frigus amabili,
 Soluetur humor durus ad igneas
 Alas Fauoni, culta nuptæ
 Ambrosio vegetantis ore.
 Stridensquæ siccas machina protraheet
 Naues in æquor; garbasa Thraçijs.

De-

Depromet aspirare ventis
Veliuolo Palinurus alto.

Tu septicollem visere curiam
Vtcunquè gestis, templaquè Romuli,

DIGBAEE, securus marino

Crede Deo, volucriquè puppi.

Hoc nempè Nereus obsequium tibi
Debet, quietum nunquam aliàs mare

Sulcare quærenti, sed horrens

Cædibus, & rabido cruore

Contrà cadentum, dextera quos tua

Demisit Orco. Scimus, vt insolens

Potor Timai longiores

Vitet aquas, Scythicosquè portus;

Ex quo, vaganti frana proteruiæ

Dux induisti maior, & acrius

Ioçans remisisti propinquum

Nôsse Padum leuiore damno.

At nunc Britanuum Palladiâ statum

Tractas oliuâ, fœdus & insulæ

Legatus; Urbano approbante, aq̃

Purpureo medium Senatu.

Ibis, benigno Sol vbi mirior

Affulsit astro lanigeri ducis;

Vel raptor Europæ inuencus

Emicuit; pueriuè Ledæ.

Quâ luce, amicis, ô equitum decus,

Quo mense nescis ponere; sed trium

Vnus legetur, quo relinques

Heu! patriam, lacrymasquè certus.

O, quæ potentem cunque vehes, Ratis,

Herôa, soluas alite candidâ;

Oræquè subducas Latinæ

Incolumem sine nube victrix.

Sic te gemelli sidera Castoris,

Sic te priorum lumina mensium

Amica spectent, nè dolosis

Ludibrium scopulis ferate.

Sic vela blando tendat Iapygi,
Claudatque fratres AEolus hispidos,
Saltare sic Triton aquofas

Aere Deas, moueatque pisces
Circum carinam. Non aliam freti,
Quam vidit Argos, forte periculum
Posthac laceffas, tuta ventis,
Tuta falis vice, tuta caeli.

I, iam receptus finibus Italis
O magne, ad Urbem. Te cupidam patres
Cum plebe, festiuusque ludis,
Corripiunt taciti morantem.

En Pontifex te tergemina caput
Velatus umbram, & sede sedens flagrat
Audire iam nunc, & patienti
Flexanimam bibit aure vocem.

I, perge felix. Linque negotio
Felix peracto moenia Marspitris,
Gentemque muta Barberinam
Gente tua, Thamesique Tybrin!

SALVATORI ROSAE,
PICTORI, ET POETAE EXIMIO.

*Admirificam aule naturam enarrat, quae quos tantulum
extulit, plerumque excœcat. Nonnulla de ipsius In-
uidio per satyram expresso.*

ODE XX.

V T lectus patuit! non liquidis ora coloribus
AEquales propius (docte, ROSA, effingere, vel loqui
Ad viuum pariter, quicquid amas) inuida Zoili.
Distortis sed erat tum facies comoda moribus,
Hirquis trux oculis, vel tacito cognita nomine
Spectanti Satyram, ceu speculum. Frontis imaginem
Nunc mutata decet, caetera nil tangere. Principis
Ex quo celsa subit limina, praestringere nobilis

Fungo

Fungo lux aciem, nec geminæ parcere pupulæ,
 Deturbata cauis quin sonitum sedibus ederet.
 Hoc aulæ proprium, degeneres tollere, dum crepent:
 Bullas inflat vti Caurus aquæ, rumpere mōx celer
 Spumofas animas: Momus iners, cernere Lynceus
 Re maiorā, simul corripuit zona Palatij,
 Quæ sunt ante pedes luminibus præterit inscijs.
 Ipsum transflijt me Pyladen sæpius obuium.
 Tantum est: verso iterum tu Polyphemum fodias stylos

DE S. MARIA AD NIVES.

*Scipio Marchio Sanctacrucius eo die dicens frequentem
 Academiam celebrauit.*

ODE XXI.

Mater maxima virginitum,
 Virgoquæ ingenuo flore puerperā,
 Et diuina modestia
 A Equari niueis poscit honoribus.
 Fixit me MARIAE decor
 Lucentis Cyprio sidere gratius:
 Fixit mira sagacitas,
 Et virtus generis conscia regij.
 Albæ prodigium notæ
 Cingens Exquilias, & via lactea,
 Vt cœli dominam exprimunt!
 Diuæ quàm meritò concolor est domus!
 Addi nescio quid tamen
 Exoptabat adhuc virgineus rubor.
 Hoc Crux Sancta remisit:
 Tinget nulla pari sanguine purpura.

AD PHILIPPVM PORTERVM

puerum septennem.

ODE

O D E XXII.

Cresce formosæ puer albe matris,
 Digna tam magno genitore proles
 Cresce, fraternos properisque vince
 Mensibus annos.

Te Deæ natum Paphiæ seuerâ
 Lege iurarem, nisi quod Cupido
 Gratijs gaudet Veneris tribus, te
 Mille sequuntur.

Sic tuam matrem Cyprin ipse vultu
 Crederem falsus, nisi quod Venus se
 Vnicâ gaudet, Veneres at illam
 Mille coronant.

RAYNALDO CARDI ESTENSI,
 AD VRBEM PROFICISCENTI.

*Romam illius magnificentia, ac rerum præclarè gesta-
 rum dignum theatrum fore.*

O D E XXIII.

IBis Troiugenûm celsa Quiritium
 Longo tecta & opes visere limite
 Turbæ ritè sequacis,
 Primis non sine ciuibus,

RAYNALDE, à veteri nobilis Atio,
 Princeps. Ibis ouans aduena tertium,
 Ex quo purpura clarat
 Te sacrum Latij patrem.

Eheu! præcipitem quæ fuga propulit
 Me sic Vrbe procûl; quæ cohibet mora,
 Vt deducere fulgens.

Non possim ad Capitolium?
 Illic continuis Martia plausibus
 Gens cum voce manus deteret, ac nigrae

Noctis

Noctis signa resoluet
 Tortorum artibus ignium.
 Illic flore vias, & Babylonijs
 Cernes, quâ graderis, diuitijs domos
 Arridere curuli,
 Occentantibus vndiquè
 Centeno ore tubis. Tunc, bone Gallia
 Custos, tunc &, iò Lusadùm pugil,
 Fas audire, triumphè,
 Quouis vrbs ab angulo.
 Quid mirum, grauibus par vbi Gallia
 Sensit consilij pectus; & alite
 Rixam finiet albâ
 Hares verus Vlyssèi?
 Librat scepra Deus lance superbix
 Plerumquè: ac tenuem sæpè potentior,
 Ut balæna filuros,
 Absorbet: celeri tamèn
 Sors hunc, si libeat, restituit vice, &
 Tantundem trutinam pendet in alteram.
 Multos perditus annos
 Rex vno eminuit die.
 Regem plebis amor, non dolus efficit,
 Non vis. Herba malis est patientia;
 Cui nec Phasis amatrix,
 Nec Cirçè similem leget;

IN D. FRANC. SALESIVM HYMNVS.

O D E XXIV.

L Aeta Franciscos capit vsquè ciues
 Aula cœlestis. Micuère magna
 Nomen & fidus, nec inane cuiquam
 Ritè precanti:
 Siuè ferratas Nomadum catenas,
 Siuè palleret rabiem/Charybdis
 Naufraga, vel quæ mala luctuosus
 Astruit orbis.

Tu-

Tuquè stellato generosus axe
 Supplices audi, releuaquè fessos
DIVE; si nomen benè prætulisti,
 Si benè sidus.

O, iuues custos dubijs periclis:
 O, regas falsos Cynofura passus:
 More jam noto tibi, dum caduca
 Vita manebat.

Nàm quis horrendæ fera bella nescit
 Viperæ, ad ripas olidi Lemani?
 Quale non monstrum genitrix creauit
 Lerna draconum.

Herculis certâ vice fabulofi
 Belluam vindex tutudit **SALESVS**:
 Turba iam desit caputem, furorquè
 Mitiùs ardet.

Sic gregem pastor tenerum Gebennæ
 Fixit in tuto. Volat indè circum
 Galliæ tractus, vtriusque portans
 Signa salutis.

Languidum his corpus, medico stupente,
 Gliscit accessu; vitiosus illos
 Deserit mentis status; alba cunctis
 Stella refulsit.

Ordines at nunc speciosus heros
 Inter acceptus Superùm beatos,
 Iure subiectam potiore terram
 Cernet amicè.

Cernet antiquos placidus clientes;
 Nec nouis vultum renuet serenum;
 Rebus aduersis opifer, secundis
 Tutor & auspex.

Fac ità: oramus, venerande Præsul,
 Corde deuoto, genibusquè curuis:
 Fac ità: exemploquè doce trahenti
 Carpere Olympum.

Si tibi, sacrâ redeunte luce,
 Hostiam festas niueam per aras

Roma dissoluit, liquidoquè templum
Halat odore .

Nos Deo semper resonemus vni,
Gloriam Patri, Soboliquè laudem,
Flamini Sancto decus, hinc in omne
Temporis æuua .

FLAVIO CARD. CHISIO.

*Romana tutelam Academicæ ipsi à patruo, Sum. Pont.
commendatam SAPIENTIA (id enim gymnasio no-
men est) immortaliter gaudens gratulatur .*

O D B XXV.

Romanus merito cùm Pater adderet
Post ostrina Tyri vellera FLAVIO
Docti regna Lycei ;
Centum plausibus artium
De cælo resonis, vox SAPIENTIAE
Audita est iuueni . Mactè nouis, noue
Rex, virtutibus esto ,
Et factis patrum refer .
Non Cyri studio, aut Herculis indoli
Posthac inuideas : te vitij via
Nunquam flexit inertem ,
Tu clarum sequeris decus .
His altum gradibus iam Capitolium ,
His quondam rutilum moribus æthera
Scandes victor , amantum
Inter vota Quititium .
At serò ! genibus numina flagitant
Curuis : ô potiùs tutor ames diu
Cum Pastore supremo
Spectari cupidi gregis :
Hic, hinc sollicito vt Mercurij iubar
Affulge populo : Sol micat aureus ;
Currum Solis at ille
Indiuisus agit comes ;

Ma-

Magnus, fac, roseo pastor Apollini
 Stellarum similis motibus imperet :
 Terræ te globus imæ ,
 Felicesque vicarium
 Prouisis homines ritè negotijs
 Agnoscant dominum . Quis bona mentibus
 Largiri valet æquè ,
 Aut defendere munera ?
 Nostras ô igitur respice porticus ,
 Et deuota foue pectora Palladi ;
 Vt, te præside, Roma
 Pœciles habeat Sophos .

AD LAELIUM VRSINUM .

Auroram Musis amicam esse .

O D E XXVI.

L AELI, compositas dedere iam manus
 Cogor, docte, tibi . Somnus inertiam
 Sacris degenerem vatibus, heu, parit ,
 Parnassi parit incolis .
 Namque hac, crede mihi, nocte Aganippidos
 Lymphæ visus eram ducere pocula ;
 Hinc & Gorgoneo celsus in alite
 Musarum ad virides domos ,
 Cyrrhæumque nemus feruidus euehi ;
 Lesboam increpuit cum Polyhymnia
 A tergo citharam, meque peracribus
 Illudit tumidum iocis .
 Huc, huc ô propius ; Castaliæ retro
 Diuæ cedite : mons en patet arduus
 Soli, magne, tibi . Parta soporibus
 Quanti gloria nominis !
 Quantos, Somne, viros castra ferunt tua ,
 Doctos quamque breui ! Turgide, limites

Sperasti Aönios gressibus impijs,
 Et fœdâ latices gulâ
 Phœbæos temerare? hinc procûl aufuge; i,
 Cycni conde pigrum vellere nunc caput,
 Totos sterte dies: Memnonis integræ
 Matrem Pierides colunt.
 Hac arte Ogygius carmina Horatius,
 Hac arte Aufonius carmina Pindarus
 Effinxit. Veniens pluribus alloqui
 Musam deuenit dies.

AD FONTEMA QVOREAM,
 IN AGRO TIBVRTINO;

à Bernardino Card. Spada, Episc: Tusculano, instauratum, atquè Aquam Auream nuncupatum.

O D E XXVII

A Vream cantemus Aquam, fonoros
 Fontis assultus imitante plectro,
 Ponte dùm victrix Aniena ridet
 Serpere fufum.
 Aureæ laudator Aquæ, pudendas
 Barbaræ voces prohibebo plebi:
 Tusculi lustrat pater; hinc nouari A-
 QVOREA plaudat.
 Vere quam fertis redimiuit albis,
 Tinget Octobreis vitulo sub Idus;
 Nos meri soluet populum minorem
 Concha Lyæi.
 Nam quid hoc vsquàm prius est recessu?
 Grator Nymphis locus? ô calorum
 Dulce solamen, medio vel æstu
 Potus & umbra!
 Tu nec Herrusca, nequè (me canente)
 AEliaë quidquam reparata villæ,

VNDA.

32 IAC. ALB. GHIBRESII
VINDA, debebis. Tuus ampla Princeps
Pectora vincit,

CAESARI RASPO NO.

*Natalis Rondinini, doctissimi iuuenis, qui erat Pontifi-
ci Maximo ab Epistolis ad Principes, immaturum
obitum ne ferat aegrius.*

O D E XXVIII.

Molis ruinam credimus arduæ,
Vt cunquè totas par fragor impulit
Aures: & insignem Quiritum
Per lacrymas cecidisse florem,
Omni profusus limine questibus,
Vrbs grata planxit. Sed posuit modum,
Non semper aspersura Parcas
Egregij nece Rondinini.
Captoquè tandem nominis omine,
Natalis esto veriùs hic dies,
Latata dixit, quo supremam
Ingreditur nouus hospes aulam.
Illic beatam pro merito incipe
O sancte vitam, sine perennior;
Tellure nos imâ caduci
Fata moramur euntis horæ.
Vestrum putandum est viuere, Cœlites,
Inter Deorum gaudia: tristibus
Vacare curis, & perire,
Exilij decus omne nostri.
Necessitatem sic sapientia
Virtute mutat; nil faciem rei
Mirata primam, per latentes
Insinuat penitùs medullas.
Demas cupresso fac quoquè corticem,
RASPO NE CAESAR; quid speciosius?

Quam

Quam veste nudatam marinâ
 Explicuit Cytleréa gemmam?
 Cælum atquè stellas, & populum ætheris
 Mors scabra dulci pro nucleo regit,
 Optanda victorum cateruæ,
 Gloria queis, & honoris ardor
 Suffixit alas, & super extulit
 Mortale pondus, Non muliebriter
 Illi recesserunt ab vdis
 Terrigenûm domibus vocati.
 Tu nè recentis plausibus obstrepe
 Herôis, vnam spargere pertinax:
 Amicus incasum, quietâ
 Si sequeris reuocare fede.

AD SODALES.

*Laudes pertexit Io: Veslingj, Equitis, anatomici Pata-
 uini, magistri sui, ob proximè habitam dissectionem.*

ODE XXIX.

AT imperato frana silentio
 Laxare par est. Non ego Socratem
 Tractabo nodosum; SODALES,
 Vsqûè, nec intemerata Coa
 Præcepta mentis, Castalidum facer
 Vates. Recessus Pierios iuuat
 Obire plerumquè, ac tacentem
 Voce nouâ reparare buxum.
 Atquî medentum diffugio choros
 Paulùm reductus sic temerè, tamen
 Herôa gratus non caduco
 Pœonium celebrabo versu.
 Te, Liuianæ gloria porticûs,
 VESLINGI eques, dicam; altum & adorea
 Tollam superbâ, quam vel Albis
 Inuideat, patriusquè Rhenus.

C

Quæ

Quæ prima famæ gesta perennibus
 Inçido saxis ? nominis ad tui
 Caligat aspectus nitorem, &
 Mentem hebetat radiata virtus.
 Virtus capaci pectoris ambitu
 Inçlusa miris fulgurat ictibus,
 Arcetquè, nè parua laceſſam
 Carpathium pelagus phaeſelo,
 Tu magna priſci nomina ſeculi
 Raris adæquas artibus, ingenî
 Felix, potenti ſiue Pitho,
 Seu numeris libet ire Clîs.
 Hoc ore diuinum, Iâpeti velût
 Hæres, & ignem, membraquè corporis
 Diſſecta mortalis docebas
 Nupèr, & interiora caluæ.
 Quantus magiſtris, quantus erat bonæ
 Sudor iuuentæ, cùm propè ſinguli
 Aſtare pugnarent cathedræ, ac
 Ambroſium bibere aure ſuccum!
 Hic, nunc Dioclem, nunc Eraſiſtratum
 Torto flagellas verberare, nunc Aquæ-
 pendentis exactos labores
 Non humili redimis coronâ,
 Succellor eiufdem, & validus pugil
 Contra obloquentum murrura; plauſibus,
 Iô triumphè! viue! toto An-
 tenoreo reſonante circo.

AD GVILIELMVM GHIBBESIVM,
PATREM CHARISSIMVM.

*Nihil ſe hac acroſtichorum armilla maius aut melius
habere, quod pro ſtrenis illi det.*

O D E XXX.

G Rata dies: Iani feſtæ rediêre Calendæ.
Vrbe ſolent diſcurrere dona

Jam totâ, quàm longâ dies, per amica domorum
 Limina . Vos memorate, Camcenæ ,
 Ipse sacrâ quid lucè feram, voneamquè parenti .
 Extremis mercator ab Indis
 Lucentes reuehit gemmas, procerumquè coronis
 Munera dat ; proceresquè relegant
 Virginibus, sponsisquè, bonæ pro pignore mentis
 Sidonios census, vel odore
 Gaudentes Arabo manicas, auroquè rigentes
 Intexto, aut redimicula collo .
 Baltheus at, tegmenquè ensi, vel spira galera
 Baccatis circumdata bullis ,
 Egregiusquè fiber, Galli nunç pileus arte ,
 Seligitur, quem sponsa marito
 Mittat amâns, virgoquè patri generosa vicissim . .
 Est in more ; negemus amorem
 Debita persoluendo ? negemus tunc quoquè vitam ;
 Ista sed ex modulo, ac pede quisque
 Contendat soluisse sua . Non omnibus æquis
 Impertiuit opes Deus æquè .
 Non mihi sunt gemmæ, Sidonis non mihi census ,
 AEquoris aut opulencia rubri .
 Digna tamen veniunt gnato conferre parenti, &
 Opportuna die dare Iani .
 Carminibus gaudes ; & erunt mea munera : faustos
 Terquè quaterquè precantia menses ,
 Ordine quotquot eunt . Votis, ô rector Olympi,
 Redde aures, eaque omine firma .

ISABELLAE BORBONIAE,
 REGINAE CATHOLICAE.

*Dùm ei exequiarum iusta ad D. Iacobi in Vrbe solue-
 rentur .*

Rogatu IOANNIS DE VELASCO & DE LA CUEVA,
 Comitis Struëla, Oratoris Hispaniæ .

O D E XXXI.

ET magna magnam firmate lugubri,
 Et sancta sanctam poplite supplice,
 Regina reginam vrbs Quirini
 BORBONIAM gemit ISABELLAM!

Sic est: locorum diffita transuolat

Virtus, nec vlllo clauditur ambitu;

Solers videri, quâ fugacem

Nobilitas comitatur alam.

Eheu, remotæ qualis Iberiæ

Iactura! quæ mens, quæ ratio sedet

Magno Philippo! quanta (dixit)

Damna feres populis, adempta!

Cui quandò Iustum, & iustitiæ comes

Candor, pudorquè, & relligio, & fides

Vllam, reuertat prisca vt ætas,

Inuenient similem, aut secundam?

Astræam in astris credidimus globum

Formare; præsens Diua tenèbitur

ELISA, concedetquè nomen

Elysioua noua stella cælo.

At ô beatis pars melior licèt

Adscripta plaudas ignibus, alteri

Sit fas sepulchrales honores

Pendere, Mygdoniâquè funus

Condire testâ. Fas mihi patrijs

Vdam fauillam spargere lilijs,

Subdente regnato leone

Colla pyra, validumquè tergum.

Quàm dedicato digna nites tholo

Iam nunc, & almam poscis adoream,

Regina, si mortale tantum

Iuris habet super astra corpus!

Sic Roma. Tantæ Dædale machinæ,

VELASCE, questûs desine flebilis;

Amic

Amisit Hispanus patronam,
Indigetem peperitquè Diuam.

DE NECESSITATE MORTIS,
quæ omnibus est communis.

Ex occasione allati nuncij de præmatura morte Guilielmi fratris sui, Galassij Imp. tribuni, anno ætatis 22. Praga obita.

ODE XXXII.

V Rna mortales citat atra turmas,
Et senem miscet iuueni, & clienti
Principem, iustâ tenuesquè iungit
Lege superbis.

Quisquis insignis Tyriâ-refulget
Purpurâ, quisquis fera vibrat arma,
Exuet coccum, rigidamquè Martis
Exuet hastam.

Mille quem cingunt famuli tyrannum,
Sortis ignarus dubiæ, seueras
Æaci voces, metuetquè cruda
Iudicis ora.

IN ATHANASIVM KIRCHERVM.

De arte magna lucis & ombra.

ODE XXXIII.

Q Vicquid per omnem Delius ambitum
Cœliquè, terræquè, & maris, & Stygis,
Fulgente configat sagittâ

Purpureum iaculatus ignem;
Et, quæ beatis exulat arcibus,
Regina noctis, quantum Hecate triceps

Cum plebe stellarum, soporis
 Possit equis, piceoque curru ;
 Tum quid Lyceum, doctaque Pergama ,
 Vel Thuscus augur, vel Babylonius ,
 Colchiuè messorum veneni
 Eliciant facibus gemellis ;
 Mirè disertus prodigus eloqui ,
KIRCHER, narras ; atque scientiam
 Expertus, incedis per orbem
 Sidereæ fabricator artis .
 Non Archimedi notior ætheris
 Crystallus olim : nec radio globum
 Terræ Phalantæus redemptor
 Scripserat imperiosiore .
 Posthæc nefas depromere fabulam
 Gibbi sub axes Amphitryonidis ;
 Comparque sublatis columnæ
 Risibus excipietur Afer .
 Tu quippè celsæ pegmata curiæ
 Fers itretorto vertice sanitis ,
 Rodente successoris ambos
 Inuidiâ Telamonas atrâ .
 Fraternalis summi regna etiam Iouis ,
 Ac Magna mater, quæ patet undique ,
 Carcerque ventorum infrementum, &
 Præcipites Phaëthontis oræ ,
 Quandoque mandas, se tibi cardine
 Toto recludunt . Dædala conscium
 Natura te confessa rerum ,
 Exiguum penetrabile culpat .
 Ergò fauenti luceat alite
 Ars magna mundo, nec speciem pigræ
 Affectet umbra, ni magistris
 Instituat populos tenebris .

S. CALOCERI MART.

Translatio ab Vrbe Roma ad Sabinos.

*In ade Neriana Sumilla (vbi erat Regillus olim) RV-
BEORVM gentilitiæ arcis, à Petro Francisco Patrisio
Romano, gentis Rubæ columine, indè oriundo, ma-
gnificentissimè consecratur, ipso perpeffionis sub De-
sio Imp. anniuersario die, XIV. Kal. Iuny.*

ODE XXXIV.

V Irignes raptas, placidumquè regem,
Et nouos Clauso præeunte ciues
Falsa deberi Curibus, rependit
Fœnore Roma.

Tot bonis æquum, CALOCERE, pondus
Mitteris lætos facer ad Sabinos,
Cæde spectandus, velût vda rupto
Balsama ligno.

Seu Palæstinæ generosa fyluæ
Filia, oppressis fera colla ramis
Surrigit victrix, sibi & ipsa nutrit
Palma coronam.

Quid tibi durus nocuit tyrannus?
Fortior duro steteras tyranno:
Perculit corpus; leuis occupauit
Spiritus astra.

O vbi fufis variata guttis
Stella colluces, radiosquè stringis?
Vndè dilectam Latij, rogamus,
Aspice terram.

Si caput transfert mutilumquè truncum
Prodigo sumptu dominus Sumillæ;
Sancta neq̄ parçunt adolere templo
Thura Quirites.

A D M V S A M.

*Rogat, ut cantum dicat suæ Lyre, quo delinias
Mecœnatem.*

O D E XXXV.

P Vlchro docta nouum carmen Apolline,
Infuerumquæ melos præcipe, Pieri,
Vati, mœx liquidam follicito bonâ
Vocem reddere tibiâ;

Seû mauis, tremulæ cantibus impigro
Admiscere lyre. Ducitur hac ope
Mecœnatis amor, melle potentiùs
Circæi magico scyphi.

Quantò quisque choris fauit amicioꝝ,
Vinctum Musa trahet, quò lubet, auribus:
Sirenas Siculum non habuit mare
Fonti Gorgoneo pares.

Acti volue memor temporis indicem,
Haud ingrata Deo carmina fecimus
Olim, Castalios cùm latices mero
Vertit, rupe palatium.

Tanti nunc, ERATO, fac meriti decus
Clarum postgenitis. Flecte precor, precor,
Molli corda sono, non aliter ferum
Quàm Pellæ fidicen ducem.

A D A R T H V R V M H O P T O N V M.

*Quo tempore Legatus Magne Britannie Regis in His-
paniam missus Matritum attigit.*

O D E XXXVI.

H Ve ô virorum quisquis amicioꝝ
Anglis, & alto Brutigenûm duci;

Re-

Regni què rebus, hùc frequentè

Vota choro, merita què mecum

Exolue grates . Norus Iberian

Reuifit hospes fidere candido ;

Regis què legatus Britanni in

Auftriacam penetrauit aulam .

Hic ille vitæ putus, & ingenî

Felix aperti, cui scelus impotens

Durare, façratam bilancem

Virgo dabit fugitura cœlum .

Et quæ reposcit supplicium Dea

Erroris acti non teretem abnuet

Ensem, Quirinalesquè fasces,

Aut rutilum Nemesis tribunal .

Hic ille doctæ Palladis artibus

Efficitus, æquo cui benè puluere

Certare Nelides repugner

Eloquij, varioquè tactu

Rerum atquè regum . Vicerit ardui

Interpretem axis, nec sibi virgulam

Desiderârit, nec renaras

Ex humeris pedibusquè plumas .

Seù dura quærit pectora principum

Mollire, longas seù calor incidit

Tentare terras, non morantem

Raptat amor leuiore curru

Nupèr stupebam, cur solito magis

Dies niteret, cur veterem soror

Titanis vsurparet ignem,

Docta nigris equitare bigis

Mirabar agros versicoloribus

Florum tapetis sterni, & Iapyga

Mulcere germanis ligatis

Ambrosias sine nube frondes

Festum putâsles connubij annum

Seruare Chlorin cum Zephyro, nurus

Vel regna subtili tyrannum

AEolium recreare flatu

Tunc

Tunc & serenæ marmora Tethyos
 Sterêre longo tura silentio ;
 Narrantquè per littus iacentes
 Somnum oculis petijssè phocas ?
 Sic nempè partes condecuit suas
 Aptare Diuos : scilicèt hùc gradum
 HOPTONVS, ingens cura Diuùm, &
 Charus honos hominum ferebat .
 Salue Britanni publicus otij
 Minister, albo intraueris alite
 Sedem Philippi, Carolusquè
 Det meritos reduci triumphos .

IN CATHEDRAM D. PETRI,

*ab Alexandro VII. P. M. sumptuosè exornatam, &
 illustriore loco Vaticana Basilica piorum venerationi
 propositam .*

ODE XXXVII.

QVæ picta sacræ fella curulum
 Certet cathedræ, cui PETRVS insidet ;
 Longæ fatiscenti senectæ
 Dente licèt, vitioquè seeli ?
 Hic Scipionum, siuè Metellicos
 Spernam triumphos : hïc etiam Iouis
 Derisor Elei stupebo
 Sidereæ monumenta pompæ .
 Palmata non me tam trabæ nota
 Percussit, ingens clamor euntium ;
 Albæquè victoris quadrigæ
 Romuleam cumulantis arcem ;
 Spectanda quàm sic fercula lignæ
 Sedis . Colendo nunquàm animus fatis
 Impletur vluâ Gangis omni
 Reliquias pretiosiores .
 Vinçat vetustas quolibet artium

Ful-

Fulgore maior . Quanquam & honoribus
 Pellucet obductum supernis
 Impavidæ Fidei tribunal .
 Signis & auro lamna rigens thronum
 Vestit magistrum : quatuor vndiquè
 Captare grandævi laborant
 Iura patres, pariles ephebis .
 I nunc, seueros quadrijugis equis
 Confer Solones agmine in altero :
 Nè desit applausus tropæo ,
 Mons reboat quoque Vaticanus ,
 Cum gente totâ, & voce Quiritium ,
 Orbisque mixti ; Viue diu, & rege
 Felix, ALEXANDER, fideli
 Iurè gregi venerande Pastor ,
 Hoc nempè magnorum est operum caput ,
 Quæ Roma debet, nosquè potentia
 Isti ; tot augustos labores
 Clauigerâ decorare Sede ?

AD IACOBVM NINIVM.

*alexandro , Pontifici Maximo à supplicibus Libellis .
 Commune inde gaudium .*

ODE XXXVIII.

ET plausu manuum & pedum ,
 Et vocis resonis & citharæ modis ,
 Acclamare libet : sacram
 Curru laurigero ceu tereres viam ,
 Plebi celsior aspici ,
 Sectanti rutilæ fercula gloriæ .
 Miratrix Capitolium
 Digno turba struit, quæ fauet, arcibus
 Tarpeij potius Iouis .
 Haud talem meruit Cæsar adorem ,

Præ-

44 IAC. ALB. GHIBBESII
Prædator populi . Redit
Messis grata loco, quod benè feueris .
Collum non temerè vocant
Multorum caput vulgus : vt, vnico
Siquis profuerit femèl ,
Hunc blandita colant cætera ; dentibus ,
Quicumque officiet, fecent .
Mactè istâ niuei pectoris indole :
Gaude fœnore munerum
Sparso inter memores . Vna Quiritium
Vox, votumquè ; velit tibi
Fortunare Deus iam data ; clauiger
Dona augere vicarius ,
Sublimisquè gradus, atquè potentia ,
Crescenti meritis . Decus
Pro te dùm cupiunt, quippè vouent sibi .

AD ALEXANDRVM VII.
PONT, MAX.

*Optatissimam toti orbi personæ illius electionem
decanat .*

ODE XXXIX.

Nunc est canendum, nunc lyra Tëio
Tangenda plectro ; nunc genialibus
Mulcere transactos labores
Hora tulit vicibus, Camcena ,
Diù negatum, carpere lauream
Hortis amcenis ; dùm violentior
Afflabat Ascraei vireta
Aura iugi, comitesquè fructus .
At non maligno Thespia lumine
Dumeta semper Castalius Deus
Aspexit : optatoquè tandèm
Damna potens hilarauit astro ;

Regis

Regis futuri scilicet hoc erat,
 Fatale Sidus, Maxime Principum:
 Hoc Montium Custodem auitâ
 Cernimus emicuisse parmâ.
 O prima mundi secula, secula
 Cognata cœlo! Iam videor boni
 Calcare Saturni beatas
 Corde hominem superante terras.
 Astræa rursus læta perambulat
 Telluris orbem; nuda Fides trahit
 Secum choreas Gratiarum, &
 Implicitas sine nube Mufas:
 Quid mirum, vbi altis ominibus cita
 Præcessit agmen, culmine Olympico
 Delapsa Virtus, vt videret
 Aetherei noua monstra regni?
 Tu mella duris roscida Quercubus
 Manare, colles tu facis arbiter
 Romæquæ, Parnassiquæ fratres,
 Moribus, ingenijsquæ iustus.
 Per te reuisit prodiga faustitas
 Pagos, & vrbes: explicat horreis
 Frumenta stipatis in vsum
 Alma Ceres, pater & vetusti
 Cados Falerni, munera pauperum
 Festiua, Liber. Te duce, candidas
 Induta vestes purpuratæ
 Relligio Crucis arma tollit:
 Quam ponè flexo lumina poplite
 Mundi sequuntur, Cæsar, & ardui
 Cum plebe Reges, ad ruborem
 Thræciæ opprobriumquæ Lunæ.
 Quanquàm feroces te quoquæ Sarmatas
 Spes aggregandi pascit, & vltimos
 (Vtcunquæ firmâris sequester
 Pace Duos placidâ) Britannos.
 Iam nunc mearum stat Venetus Leo
 Sententiarum testis, in asperum

Du-

Duratus hostem, per cateruas,
 Sancte, tuas, pelagiquè vires.
 Testis, rapaces armiger imperi
 Expertus vngues vndiquè vulturum
 Ales biformis, cui serenum
 Primus eras aperire cælum.
 His dedicati pectoris artibus
 Lucratus orbes, & Capitolia,
 Ingens ALEXANDER, triumphas,
 Tergeminâ redimitus umbrâ.
 Nos manè Diuos, nos prece vespere
 Longum rogamus solliciti Patrem;
 Interquè dilectum supremus
 Ipse gregem numerere pastor.

AD HYACINTHVM ALEBRANDVM,

Pinnensem, poëtam.

O D E XL.

Penna natiuam tibi fecit urbem,
 Fecit ornatum tibi Penna nomen,
 Penna gentilem tibi prisca parmam
 Format, Amice.
 Quâ super cunctos ope ferris ales,
 Parco mirari: vaga scindis astra
 Mercuri ritu, labra doctus æquè
 Soluere plumis.



IAC. ALB. GHIBBESII

POET. LAUR. CAES.

LYRICORVM

LIBER II.

AD LEOPOLDVM I.

CAESAREM AVGVSTVM:

ODE I.

Parta de Turcis memorabili victoria, pacequè indè per mutuum legationem composita, augustissimas ei Nuptias cum regia Hispania Virgine MARGARITA feliciter optat evenire.



Aud parua magno contulerim tibi
Exempla, CAESAR; Sithonijs ducum
Palmis onusto barbarorum, &
Hesperium thalamum petenti.

Sic ille truncâ Gorgone Perseus
Clari recessûs Andromeden tulit
Donum, inter ignes môx futuram
Aethereos sociale fidus.

Cessitquè virgo legibus Herculi
Desponsa iustis regia vindici,
Postquàm erubescendo Creontem
Soluerat Orchomeni tributo.

Quin & subactâ Liber ab Indiâ
Hoc more gratam quærere coniugem
Ardebat (æterni propago
Tanta Iouis) diadema pugnae;

Cres-

Cressam puellam . Nomen enim graue
 Minos sonabat, iustitiæ arbiter ,
 Parensquè nuptæ . Rara virtus
 Vsq̄ue aded̄ Superos amicat !
 Herõas inter te quoquè maximos
 Euenta belli prospera feruidi
 AVGVSTE, sublimis merentem
 Condecorant generum Philippi :
 Interminatis cui volat axibus
 Vterque Phœbus ; quâ mare Atlanticum
 Porat fatigatos iugales ,
 Quâ refugit noua meta Gangem .
 Sperata longo gaudia tempore
 En mensis affert iam tuus : explica
 Frontemquè, risumquè, & lacertos
 Austriacâ fruiture Nymphâ .
 Nam quod laborum, quod tibi sumptuum
 Nobis pericli fas erat integris
 Exsoluere, aut optare munus ,
 Hesperiam nisi MARGARITAM ?
 Gemmâ coruscus non aliâ Tagus
 Se iactat æquè : non similes dedit
 Gazas Hydaspes fabulosus ,
 Nulla rubri tegit ora ponti .
 AEquata laudi præmia Cœlites
 Plerumquè librant . Quàm propè sanguine
 Istrum colorârat fidelis
 Christiadam Mahumetis vltor ;
 Cultus, & aras, & genus, & lares ;
 Nomenquè totum eradere splendidè
 Periurus ? Hinc tendebat hostis
 Pannonios penetrare fines ;
 Ni militari pectore Teutonum
 Fortisquè Galli protinûs impetu
 Multâ coactus substitisset
 Cæde virum, lacerisquè signis ?
 Stat Murâ flumen testis, & Arrabo
 Cladis receptæ, purpureos adhuc

Voluens

Voluens liquores : te cohortes ,
 Te patrios animante Diuos .
 Viditquè tandem dux Solymannius
 Lunata quantum pelta Moguntia
 Cedat cateia, luctuosis
 Ictibus, horribilique fato .
 Fœdus pauentes indè Othomanida ,
 Quæruntquè pacis pignora mutua :
 Leslaus hinc portat, Memetes
 Indè refert, agiles ministri .
 Communis ô tu lætitiæ dator ,
 Præcerpe pactæ gaudia Virginis
 Iam nunc ; secundature plausus
 Affimili, LEOPOLDE, prole .

AD PAVLVM ZACCHIAM.

*Rerum legalium, quæ sub medicum cadunt, absolutissimi-
 mum opus ab eo conscriptum commendat.*

ODE II.

N Vllus ignaræ medicorum, vt olim,
 PAVLE ZACCHIA, locus est cateruæ ;
 Nulla per legem mora cognitori
 Discere vitas .
 Tu mones iustâ cecidisse Lunâ
 Posthumum matri sine fraude pondus ;
 Scribis hæredem simili notarum
 Sanguine vultum .
 Oppiam ducunt : scelus ! ô Quirites ,
 Claudia affixum reparate probrum ;
 Vesta (conclamas) Cybeleque zonæ
 Terret amica .
 Sic & occulto vitiosa casu
 Virgo damnatur, licèt illa mœchos
 Abneget : primo sua quippè constans
 Signa pudori .

D

Sigaa

Signa vefanos aperire motus ,
 Signa furtiuum medijs venenum
 Cernere in venis, Ioue non benigno ,
 Colligis apta .

Quin Auernales, aconita, succos
 Siquis exhaustit paterâ nouercæ ,
 Clarus apparet : linis hunc, at illam
 Tortor adurget .

Indè pœnarum facies per omnes
 Mittitur iudex, equulum, & cataftam, &
 Vnguen, & funis trochleam pudendi, in-
 tendere verum .

E tuo pendet laniena iullu ,
 Licet atrox glomeratquè fafcès .
 Par erat, talis hæres beatæ
 Arbitr vnæ .

Luce donandos super astra ciues
 Credidit Ritus tibi . Sic receptus
 Ardet & Felix, Venerusquè cœlo
 Iuftinianus .

Quid fequi post hos faciam ? perenni
 Aut quid attexam melius coronæ ?
 Attamen consultus, eras roganti
 Delphicus auctor .

I, liber, quo te pretio repensum
 Attali raptant Themis, & Machæon :
 I, Deûm facris pueris per orbem
 Iure legendus .

FVLVIO TESTIO.

Medium tenuere beati .

O D E III.

I lle, ille felix ô ter & ampliùs ,
 Amice TESTI, non fecùs in bonis ,
 Rebusquè duris, quisquis auream
 Seruat ouans medioeritatem .

Cre-

Credas profundo, quod malè Phorceydos
 Vrgent molossi; fortior euenit:
 Luctentur Euris; franget Euros
 Victor, Hyperboreasquè nubes.
 Hac arte pennas Cecropius faber
 Impunè librat tutus in aère,
 Cerata gnati dum procacis
 Ala Deo propiore fluxit.

AD FAMAM.

Quo die FLAVIUS CHRYSIVS in sacrum Cardinalium
 collegium à Pontifice Max. patrius cooptabatur.

O D E I V.

EN illa magnis lux Capitolij
 Iungenda fastis, nil potioribus
 Debens triumphorum tabellis,
 Quotquot honos miniauit vrbis
 Olim Quirinæ: seù colit æthere
 Ancile lapsum, seù Berecynthiæ
 Instaurat aduentum parentis,
 Siuè sacrum veneratur anguem.
 Haud sanctus vno nomine fert dies
 Fœcunda gratis gaudia ciuibus,
 Duplexquè festum; quòd sub ipso
 Antè rubrum tulerat galerum
 Largitor ostri nunc tibi Pontifex,
 Dilecte FLAVI, pectoris ardui
 Hæres: Aprili mòx daturum
 Tergeminum diadema mense
 I, FAMA, ventis acta iugalibus,
 Et finde centum sidera buccinis;
 Auresequè, linguasquè, & capacis
 Verte oculos per aperta mundi;
 Clarumquè, Solis quà rotà voluitur,
 Herôa differ, nuncia plausuum,

D 2

Quos

Quos Roma tollit, parte ab omni
 Vt resonet caua imago vocis ;
 Strictura laudum (dic Dea) Principis
 Auditor orbi : non satis indolem
 Mollis propagavit iuuentas ;
 Herculeæ dabo signa plantæ ;
 Etrusca prisca progenies domûs
 Romana fulcit mœnia FLAVIVS ;
 Spes vna gentis, cûr vocaret
 Rebus in imperij secundum :
 Cœlo beatus si patruus vacat
 Plerumquẽ, terras rex minor occupet ,
 Spectandus æquẽ ; dum benignâ
 Mente homines opibusquẽ curat .
 Illo Quiritum præside, non amor
 Discinctus, aut lis polluet ordinem ,
 Non fraus, & oblectata damno
 Invidia, horribilisquẽ cades ;
 AEqui, & decori scilicet omnibus
 Exempla stabunt Chisia, feruido
 Ducem secuturis labore ,
 Mellis vti sua turba regem .
 Ius fasquẽ puris moribus exprimit
 Vtcunquẽ rector, plebs humilis boni
 Sumit rudimentum magistri ,
 Egregios imitata nifus .
 Nam quis profanum certiùs imbuat
 Candore vulgus, quem pudor, & fides
 Lactavit, & virtus auita, &
 Virginæ peperere Senæ ;
 Hic ille per vestigia Maximi
 Fabi, Latinæ fidus adoret
 Conscendit ostrum, nec pudendo
 Degener imperio rubebit ,
 Lanugo quanquàm vix decoret genas ,
 Affixus ipsi . Tempora diuitis
 Sperate, mortales, metalli ,
 Mella Iouis referente Querçu ;

AD IVLIVM CARD. ROSPIGLIOSIVM.

*A Palatinis cubiculis, & à præfectura secretioris Scri-
nij, iisdem, undè in Pontificatum Alexander VII.
emissus fuerat, parisi illius fortuna omen capit, 1657.*

O D E V.

N Vncium cœli mediâque terræ
Credere me, IULI, rapiente Phœbo ;
Mandor èn rursùm noua fata docius
Pandere mundo .

Alba quas dixi tibi nere fila
Nupèr, infundunt Tyrijs ahenis
Texta iam Parcæ ; tamen vna partem
Linquere gestit

Carbaso addictam niuæ, supremum
Sic Dei iussu variante regem :
Pythius Clotho, mihi Diua, vates
Hæc tibi narro .

Sæpè pro stellis nimium tumentes
Aura decepit trepidantis vndæ :
Per bonos fines animum modestum
Ducit Olympus .

Iactat elatum, retinet fugacem
Gloriæ currus : radioque stringit
Lucido Phthias etiam latentes
Sub mare cristas .

Nescit obduci speciosa virtus,
Vt velit, longum : iacit ipsa flammæ ;
Queis Alexander patuit Columbæ,
Tuque refulges

Montibus . Gratum voluit beatus
Ille te secum trabibus sub iisdem ;
Ille te curis, pluteisque fidum
Iunxit Achatem :

Et domum, & gemmas, propriumque manus ;

Quæ dedit paruo Dominus, resignat
Nunc tibi maior, simili daturo
Iure sequaci .

Vna vos læti positura cæli,
Vnus aspexit Genius : per omnes
Sic gradus vitæ, per honoris arces
Scanditis astra .

Differ extremum violentè actum
Insequi, longo placiturus ostro :
Festus in præsens populus virenti
Nestore gaudet .

AD STEPHANVM VAIVM:
EPISCOPVM CYRENENSEM;

*Ordinis S. Spiritus, & Romani nosocomij præceptorem
generalem .*

O D E VI.

Prognate Tuscis, grate Quiritibus,
O VAIE, sanguis : non humili canana
Fascesquè, laurosquè, ac tiaras
Voce tuas, citharaquè vates .

Non arbor vno læta viget solo,
Vitatquè matrem furculus arborem ;
Dimota ab Hæmo segnis ornus
Crustumijs rubuit volemis ?

Fortuna regni non Ithacæ ducem
Fecit beatum ; sed dubius maris
Claravit error trans Gharybdia,
Vndè animum ingeniumquè traxit .

Odi pauentem dira pericula
Nutricis extra brachia patriæ ;
Suffecit AEnææ relictis
Sors alibi potiora rebus .

Cultura mentis sub lare diffuso
Firmata tanti est ! Hæc tibi gloriam, &

Non

Non erubescendos honores
 In dominâ properauit vrbe .
 Hac arte connexum ad Capitolium
 Romæ atquè famæ scandis, & optimi
 Rectoris Urbani triumphas
 A Æthereum sine fraude pectus .
 Hac Barberinis cura nepotibus
 Incedis, aurei Tyndaridis poli ;
 Qui vt cunquè subduxère vultum ,
 Heu ! tonitru, sequiturquè fulgur .
 Te rara virtus, & chorus integer
 Virtutis ornat ; te cupit hospitem
 Stellarum inaudax Virgo cœlum
 Linqvere, quam maculosus olim
 Exegit orbis : iam tibi credidit
 A Equam bilancem, iuris vt arbiter
 Delicta pendas, & securim ,
 Quâ refeces malefacta vindex .
 Hoc fonte merces, insuia Præfulis ,
 Formosa fluxit . Quàm benè legibus
 Quadrant tiaræ ! Sic profectò est ;
 Ara Iouis, Themidosquè par est .
 Insigne dicam : tu licèt arduâ
 De gente ducas & genus, & domum ,
 Cerasquè tercentis auitas
 Ordinibus mediteris hæres ;
 At pallidorum præsidio tamen ,
 Quàm stirpe gaudes clarior aspici :
 Præfens vel addixisse Codro
 Mentem, & opes, studiumquè fautor .
 Testis dolentum, testis egentium
 Caterua, sacri Flaminis incola ,
 Laudum, redones dum salutî
 Pœoniæ moderator artis !
 Sunt & benigni quæ bona pectoris
 Mulcent Hetruscâ Pegasides lyrâ,
 Quævis Tassius, atquè ingens Petrarcha
 Inuideat, patriusquè Dantes .

56 IAC. ALB. GHIBBESII

Quid magnum, vbi istis muneribus stupet,
 Si digna cinxit tempora Pontifex
 Vittis, coronauitquè Cyrrhæ
 Fronde Deus viridi capillos?

AD LEANDRVM DE S. MARTINO,
*Benedictinorum Anglorum præsidem, professoremquè
 Duaci regium.*

Ob cuius è Britannia reditum gaudio exultat.

O D E VII.

ET me seuerum gratâ silentium
 Pimplea iussit rumpere. Suffice
 Lyramquè, vocemquè insuèto
 Musa, loqui, docilesquè neruos.
 O sæpè nostram sollicitâ prece,
 Votisquè, & aris, Præsul amabilis,
 Allecte ad urbem, quis Stagyra, &
 Palladiæ reducem iuuenta,
 Patrumquè lato concilio stitit?
 Quis te redonauit cupientibus,
 LEANDRE, Diuis, atquè velis,
 Huic patriæ, Morinoquè cælo?
 Formosa Cresso nè careat dies
 Ist hæc lapillo, nè Zephyritidos
 Tardent pauimentum refusi
 Sternere non sine honore flores.
 Neù picta nudæ parietibus domûs
 Aulæa defint, nè laquearia,
 Vtcunquè suspectas ad astra,
 Astra negent, Siculamquè spheram.
 Iamquè & plateæ versicoloribus,
 Quà dedicatum gratus ages pedem,
 Velent tapetis saxa, nulli
 Digniùs ah! foret ipse quanquàm
 Altus curuli Cæsar eburneâ,

Datq;

Datura: honorem . Iamquè Quiritium ,
 Virumquè tutmæ celsiorum, &
 Socraticæ studiosa mentis
 Pubes, Mineræ iuncta sequacibus ,
 Phœbiquè alumnis, ac generosior
 Legis sacerdotum supernæ
 Vnda suum ruat in magistrum
 Plenis amoris fluctibus ; & , Pater ,
 Nosterquè dicat Doctor, ab vltimis
 Sospes reuertisti Britannis ,
 Ampla hominum superamquè cura ?

FERDINANDO CAPPONIO, V. I. D.

Nè doleat plus nimio Patrem mortuum .

O D E VIII.

PArce nunc tandem gemitu, nigramquè
 Tempera limbo chlamydem serenæ
 Frontis ; haud æquo genitoris vrges
 More sepulchrum .
 Ille tellurem miseram perosus
 Lucidos cœli penetrauit ignes :
 O vbi pulcher sine nube candor
 Pectora clarat .
 O vbi virtus, & amica Diuis
 Stat fides, nullo tremefacta casu ;
 Vnde vis, labesquè mali, dolorquè
 Tristis aberrat ,
 Ille natorum lacrymas beatus
 Scilicèt curret, redeatquè glebæ :
 Vos magis puro cupit ah ! receptos
 AËthere, nati .
 Non tamen sanctum veto flere patrem ;
 Sæpè delenit graue flere damnum .
 Sit modus : longas Libitina rides
 Atra querelas .

At

At nec Anchisa generatus vsquè
Planxerat fatum Phrygij parentis :
Post breuem luctum reuocauit almæ
Gaudia matris .

Tuquè Troianos imitare, FERDI-
NANDE CAPPONI , decus ô mearum, &
Arbiter rerum, patriquè conde
Vulnus in Arno .

Quid iuuat leges, Themidosquè nôsse
Iura, ni mentis cohibere iure
Impetum nôris, animumquè ad omnem ef-
fingere sortem ?

Suaferis frustra populo Quirini ,
Docte membranas aperire legum ,
Gurgitem Scyllæ ferat, ipse littus
Si procùl horres .

Hùc ades flauam propè Tybris vndam ,
Dissonum curis memorabo carmen ;
Carmen addictum reduci, quod vdos
Siccet ocellos .

OXONIENSI ACADEMIAE
TOTIVS ORBIS CELEBERRIMAE .

*Orationem suam , in qua de illius Bibliotheca perhono-
rificè meminit, eamquè Vaticanæ tantùm non pratu-
lit , ab Vrbe mittit : sub auspicijs EDVARDI HYDI,
Clarendoniæ Comitiss , magni Angliæ , & eiusdem
Cancellarij .*

ODE IX.

Q Vid prius dulci vigilans alumno
Vouerit nutrix tumidis papillis ;
Eloqui dexter queat, vtquè cultu
Crescere miro ?

His tribus nunquàm satiata donis
Vsquè tu pubem cumulas Britannam :
Tu domi priscas sine fraude, Mater ,
Pandis Athenas ,

Quid,

Quid, quòd avulso noua gens ab orbe
Vndiquè accurrit, metuens refelli ?

Vt Clarendonus proprio triumphet
Præses honore .

Iurè : nam vultu Clarij benigno

Is Dei fouit graciles Camœnas :

Iurè : festiuâ cecinêre Phœbum
Voce Camœnæ .

Per manus linguæ cape verba tantas

Vindicis ; gazam tua Vaticanam

Lancè dum nostrâ celebrantis æquat
Bibliotheca .

Impudens certè facinus videri ,

Vrbe sic tolli, medijsquè Rostris :

Ast ego nullo bonus axe ciuis
Facta filebo ,

Quæ vehant cœlo patriam . Referre

Cùm potes laudes, benè proditorâ

Affides mutus . Mihi terra tali
Antè dehifcat .

AD B. ALOYSIVM GONZAGAM .

*Cuius ara , in Romano S. Ignatij templo , voti tabu-
lam extremo morbo liberatus appendebas .*

O D E X .

Non semper alto carbasa gurgite
Submergit Auster, vel ciet horridis

Deuexus Orion procellis

Monstra ; nec Eubœicum per æstum

Nauis doloso fracta Caphareo

Debet ruinam : cùm trabe remiges

Coguntur arreptâ precari, &

Sicca vocat miser astra vector .

Est & vadofis haud leue Syrtibus

Discrimen, vrget magna vbi Tethyos

Here

Herere paupertas carinam,
 Aut breuibus trepidare faxis.
 Tunc vda Tiphys ducere sidera,
 Ventosquè molles curat, & obsidem
 Delenit Arcturum salutis,
 Et pluuios veneratur Euros.
 Sic nempè Nereus, vel nimius freti,
 Parcusuè lædit. Vastus amat modum
 In rebus orbis: creuit errorem-
 Inter vtrumque animosa virtus.
 Aeger iacebam, nec solido die
 Neçessitati fas liquidæ suum
 Laxare claustrum. Posco cœlum,
 Pœoniâ moriturus arte.
 Profesta sacris lux erat hæc tuis,
 O sancte Diuim. Carmen adoreæ
 Seruatus æternæ dicabo,
 Tu modò, tu miserere, dixi.
 Porrenta: fessos luce nouâ dolor
 Artus reliquit: iam vigor, & quies,
 Notiquè successère vultus,
 Et placidi sine fraude somni.
 Ergò obligarum figimus asserem
 Grati superbis postibus; ardua
 Quâ parte Loyolæ magistri
 Tempa micant, niueæquè turres.
 Hic, hic, sinistro versus ab angulo
 Pendebit aræ, tessera Romulæ
 Spectanda genti, dum loquentur
 Ausoniæ monumenta charræ.
 O, qui coruscum, Diue, tenes polum, &
 Sedem negatam motibus anxijs,
GONZAGA, votiua tabellam
 Respiçe, quam Palinurus addo.

IN NVPTIIS NICOLAI LVDOVISII,
ET CONSTANTIAE PAMPHILIAE,

Principum Romanorum, acrostichon.

ODE XI.

Nobiles effer super astra mecum
Inclyti tædas paris, ô Thalia,
Cantibus, quales tenuare Lesbis
Optet amica.

Luce quid festâ potiùs Diones
Apparem neruis? agè, dic remistâ
Voce sponforum thalamos potentum, &
Sidus Oliuæ:

(Lenta nam Graio tibi fonte nomen
Virga deduxit, sociusquè lectus)
Docta Phœbæo celebrare vtramque
Omne pacem.

Virginem castam priùs, àn mariti
Integros mores memorem, àn Columbe
Simplicis ramum, dubito, àn vetantes
Impia clathros.

Virgo Romani sacra cura patris
Sistitur nostræ pudibunda Musæ,
Et premit matrem, velût agna matris
Tuta sub vmbra.

Claustra natiuæ, noua nupta, portæ
Ostijs muta patulis mariti:
Non tibi Vestæ focus, aut Diana
Sacra vaporant.

Te decet flauo cohibere velo
Aureos (longè pudor esto) crines,
Nec moræ zonam, nec amica ferre
Tegmina zonæ.

Iam sinu cautæ medio parentis
Abstrahet fictam iuuenis Sabinam:

Parce

Parce luctari nimum iocoso

Aspera ludo.

Mitis augusti penetrare sponsi

Protinus quæras, subeasquæ linaea,

Hybla quod florens, & odora circum

India repit.

Lacteam prædam generosus heros

Iam tenet, blandum Iouis ut volucera

Armiger, pulsante modos Camanâ

Pectine tales;

Romuli ciues Venerisquæ magni,

Inuicem labris sociate labra;

Nubiles nectit Dea sic palumbes

Cypris ab ore.

Ite vos extrâ pueri & puellæ,

Per fores clamor resonet Thalassium,

Exigit cunctos Hymenæus ardor

Solis ad ortum.

At dies: intrò pueri & puellæ,

Coniuges laurâ reparatè canâ:

Stabit hac, nono redeunte mense

Paruulus aulâ

Otium fesso puer ille mundo

Nectar antiquum referetquæ Tybriâ

Sic suam donat face LVDOVISI

Innuba Pallas.

AD GASPAREM DE GVZMAN,

COMITEM OLIVARIS,

Cum ipse Mariti hospes suum illi Escuriale dedicaret.

O D E XII.

Q Vid Gallus exors, aut Batavus male

Fretus Britanno, Succus & impiger

Belli, Palatinæquæ turma

Classe parent subitâ remittas

GVZ-

GVZMANNE, paulùm quærere . Peruigil
 Tu vi rerundes non sine consili
 Noctem per vnam, quicquid hostis
 Largo acuit meditatus anno .
 Debes Philippo : magnus item tibi
 Debet Philippus . Tu geminam domum
 Pro rege Titanis gubernas ,
 Par humeris animoque pondus .
 Tu grande gentis præsidium Austriae ,
 Regniqùe fulcrum ; tu pugil imperi , &
 Vindex coronarum legêris ,
 Carmine pars repetita nostro .
 Quandoquè gratæ sollicitis vices :
 Aduerte mentem, Dux bone ; versibus
 Edicta permutes seuera ,
 Dijs etiam placuère versus :

INCITAT ORATORES

ad laudandum venas lacteas D. CATHARINAE, elo-
quentiæ patronæ .

O D E XIII.

L Axate plenis dædala fontibus
 Suadam iuuentus : môx volucris vehet
 Ad astra pennatis, ad astra
 Fama rotis, volucrique curru ,
 Hæc ferra stellis addita candidis :
 Quæ cantet Eos, quæ rota Vesperi
 Serò, sed æternùm stupescat ,
 Virgineæ monumenta palmæ .
 Non sic reuinxit tergemina comam
 Augustus umbrâ, dum Capitolium
 Scandens, Gelonorum pharetris
 Romuleas decorauit aras ;
 Verâquè Parthos cùm domuit fugâ ,
 Cùm fregit arcus, telaquè Cantabri
 Ferra-

Ferra-

54 IAC. ALB. GHI BBESII

Ferrata, & intacta superbas
 Arabiæ tremefecit arces .
 Quid fabuloso lactea nectare
 Aspersa, Nymphæ, lilia carpitis ?
 Si nostra cernat ferta Chloris,
 Ipsa suam Dea tenat Aetnam .
 Laureta, Musæ, roscida Thespij
 Silete cliui: cernitis, aureæ
 Quæ destinemus vincla Diuæ,
 Elysiæ bibitura lymphas ?
 Non his opimâ fultus arundine
 Baccis Hydaspes eertet, & annuas
 Pactolus eiectans arenas,
 Icarix procus Amphitrites ?

ALEXANDRO VII. PONT. MAX.

*Effosso nuper S. Mariæ supra Mineruam horto, extitit
 Obeliscus Aegyptius. Hic in honorem Alexandri P. M.
 erigi pro templo debet, ab eo Chisius nuncupandus.
 Et merito: siquidem Supremo Genio, quem Spiritum,
 seu Animam mundi vocitabant, erat idem, Cl. V.
 Athanasio Kirchero interprete, consecratus.*

O D E XIV.

A Egypto in medijs nunina creuerant
 Hortis, nata putri, cum libuit, solo,
 Porrum ac cepe. Tulit Palladis area
 Romanæ prius aspici
 Portentum, cerebro dignum, etiã Iouis,
 Et quod Phœbus amet, non tripodi datum
 Cuicunque. Hanc Merœe figere Chisix
 Metam gaudet adorea
 Hæc te, Sancte Pater, pyramis exprimit
 Totum; quam Genio testa dicauerat
 Supremo, metuens sacra recludere
 Memphis sub dubijs notis,

Mundi

Mundi sic vegetum dædala spiritum ,
 Velabatquè animam ritè per omnia
 Diffusam : quod aues quatuor angulis
 Cum scepro referunt duæ .
 Nec regni Coluber signa plicans vacat ;
 Atquè ansata supèr Crux agit indicem
 Arcani veteris : doctor vti nouo
 Kircherus monet ordine ,
 Horus Tento sui mystaquè temporis .
 Tu cunctis dominus partibus influis
 Præsens, tu triplicis iure potentia
 Longas clarus habes manus .
 Obuersum quid enim, quiduè sit inuium
 Tellurisquè, Erebiquè, & super æthera ,
 Cœlestis geminis clauibus arbitri ,
 Pulchrâ forte vicarij ?
 Te Solis rutili condecet æmulum
 Par sedes, fidei & iustitiæ iubar :
 Te vitæ celebrat Cor speciosius ,
 Quàm aut Hemphtam, vel Osiridem .
 Ergò stet meritis ardua talibus
 Sacras ante fores machina gloriæ :
 Dicet, Non meliùs, si videat Pharos ,
 Possset stare Diospoli ,

HVMNVS IN LAVDEM
 S. SCHOLASTICAE VIRGINIS.

ODE XV.

Q Valis vaniloquis credita gentibus
 Solis Luna soror, pro facis æmulæ
 Aspectu vegeto, thus quoquè supplicum
 Fraternalis tulerat sacris ;
 Talem te Benedicti, alma SCHOLASTICA,
 Germanam recolit turba fidelior ;
 Aris impositâ suauibus hostiâ
 Tutelam rogitat tuam .

E

Sol

Sol mundi occiduis, ast oriens tamen,
Verè frater erat partibus, vt nigras
Peccati tenebras verteret igneæ

Virtutis iubare aureo .

Illi mente piâ, vt sanguine, proxima
Ibas, Virgo, sacri prodiga luminis
Latè per populos : stella velût comes

Auroræ decus aggerat .

Quod vidère patres, discite posteri,
Docturi sobolem, nobile virginis
Certamen ; rutilæ quo meruit domûs

Victrix tangere verticem .

Exemploquè ducis mœnia fœminæ
Cælestis patriæ tundite machinis
Votorum atquè precum, non sine fletibus

Offensi querulis Dei .

Fluxi delicias, ac bona seculi,
Natiuas & opes, & genus, & lares
Aspernata, oculos fixit in æthere,

Non nostri mulier luti .

Hinc prona obsequijs sidera debitæ
Parebant dominæ, per liquidum diem
Quærenti reditus obstruere hospitis,

Fufis largiter imbribus .

Nunc inter roseos candida Cœlites
Quid non Diua potest ? candida ; turturis
Auras nam specie dissecuit leues,

Pictum cùm peteret polum .

Mirum, quàm niuæ simplicitas auis
Agno conueniat velleris integri :
Mirum, quàm cupido forma decentior

Sponso lampade prodeat .

O ! venti, pluuiæquè, atquè hyemis feræ
Raucò cum tonitru, si libuit, potens
Olim ; signa boni iam refer indiges

Axis lata clientibus .

Da mentis placidæ gaudia libera,
Da tranquilla vagi tempora corporis ;

Extinctisque parem concilies statum,
 Solennis petimus chorus.
 Aeterno Superum gloria sit patri,
 Aeternique patris gloria filio,
 Aequæuo pariter gloria flumini
 Seclis longior omnibus.

HENRICO MAVPASIO DE TVRRE,
 EBROVICARVM ANTISTITI.

*Cum ad Pontificem Max. publicè missus pro Rege Chri-
 stianissimo & Clero Gallia de FRANC: SALESIO in-
 ter Diuos referendo, præuium Consecrationi gradum
 obtinisset Beatitatem. Quo nomine solenne etiam
 illi statutum sacrificium fecit ipse primus in Basilica
 Vaticana, Ianuario mense, cum integræ Apotheoseos
 fiducia propediem consecutura.*

O D E XVI.

E Dixit vltro, conciliantibus
 In vota Gallis, æthera Pontifex
 Sedem SALESI: nunc licebit
 Sidereum celebrare ciuem.
 Nunc thure, & aris, & prece supplice,
 Fixoque lætis munere postibus
 Assuescat ambiri, capacis
 Iure patrocini beatius.
 Rem quisquis arctam latius extulit,
 Trahit sequaces. Fœnore ducimur.
 Hac lege Persæ fructuosum
 Solliciti coluere Mithram.
 Sublimiorem sole Salesium
 Cernamus imi; sole Salesium
 Benignorem iam soluti
 Cimmerijs veneremur vmbis?
 Heu, vita duris quassa laboribus
 Spirabat illi, & spretus honor sui

E 2

Quon-

Quondam : sed affulgentis eccè
 Gaudia, mirificamquè pompam,
 Seruata paucis præmia ; quos pater
 Dilexit æquus, pennaquè mascula
 Virtutis asportauit altæ,
 Non humiles remorata terras .
 Ergò obligantem mutuus alliget
 Herõa nexus ; disparibus tamen
 Nedis amoris : perget ipse
 Fundere, nos cumulare grati .
 Donare, celsæ pars bona creditur
 Felicitatis : sortem inopum arguit
 Cepisse . Ditandi vicissim
 Pugna deos notat, atquè reges .
 Tu mentis hæc certamina nobilis
 HENRICE, præbes, vincere gestiens ;
 Per regna nomen, præter Alpeis,
 Ferre celer meritum Salesi, ac
 Ritu sacratum Romuleo virum
 Cœli coruscis inferere ignibus .
 Te nempè circumfusus antè
 Præsidio decorauit almo .
 Sic præsul ardes tollere præfulem
 Cultu decoro . Scimus, vt aureis
 Flexisti Alexandrum supremum
 Moribus, & celebri loquelâ,
 Primum tabellis Cœlicolæ gradum
 Sanciret author, non sine posteri
 Signis honoris, fulgurantum
 Pollicitus laqueare Diuûm .
 Oracla vocis qui sequitur fragor
 Terræquè, cœliquè ! insolito dedit
 Clamore plausum plebs Quirini :
 Purpureus micuit Senatus .
 Tequè indè duxit, nutibus obsequens
 Magni Parentis, rempla capeffere
 Vittata Petri, cum tiarâ,
 Cum lituo, Phrygiaquè lanâ .

Solenne

Solemne visu quod foret omnibus ,
 Orator vt cui contuleras iubar ,
 Idem precareris sacerdos
 Indigetem, pietatis auspex .
 At Vaticano luceat hic dies
 Maior quotannis, clarus adorea ,
 Festusquè semper . Cura cessit
 Mensis hero reparare Iano :

TRIUMPHVS MORTIS
in omnia , etiam in Magnum Alexandrum .

O D E XVII.

I ô triumphè ! èn falcis adorea
 Inuicta nostræ . Cernite nobilis
 Tropæa, mortales, sagittæ ,
 Et rapidi monumenta fati .
 Necessitatis non adamantino
 Thorace pectus spicula fregerit ;
 Non scuta, non defensus ære
 Umbo meos hebetârît ictus .
 Quid regna, reges, & genus Inachi ,
 Quid arma, miles, relaquè Marspittis ,
 Quid culta iactas arua, diues ,
 Quid Tyrias, Arabumquè gazas ?
 Non ipsa nostras effugiet manus
 Annosa virtus, nec sua nescient
 Sepulchra reges, aureiquè
 Regum apices, apicumquè fastus .
 O fida cuspis ! scepra rigentibus
 AEquare gestis splendida sarculis ;
 Irumquè Cræso ; nec cruentâ
 Indomitos meruis tyrannos
 Voluisse arenâ . Te pauidæ tremunt
 Vtbesquè, gentesquè, & trepidâ duces
 Cum plebe ; rutesquesquè çannas
 Sternis ouans, validasquè turres .

70 IAC. ALB. GHIBBESII
 Periura Phthium non Paridis manus
 Herōa fixit ; te Thetidos puer,
 Te sensit andax, tincta quamuis
 Membra Stygis rueretur vndā .
 Hector, fuisti : tequē sub horridas
 Orci cauernas hæc dedit aspero
 Lethalis ictu cuspis, atros
 Nare iubens Acherontis amnes .
 Huic & secundis turgida flatibus
 Pellæa virtus cessit ; & ebrium
 Iouis superbâ sorte gnatum
 Hæc tenui sepeliuit urnâ .
 I nunc, & orbis, turgide, limites
 Votis minores, & breue gloriæ
 Iacta theatrum ; duplicisque
 Exiguos Phaëthontis axes .

IOANNI PAVLO OLIVAE,
 PRAEP. GENER. SOC. IESV .

*Hieronymi Boncompagni, abnepotis Gregorij XIII.
 P. M. qui sacrae Sodalitatis fuerat secundus parens,
 ascensum ad Ro: Purpuram feliciter optat vertere.*

ODE XVIII.

M Etas honoris fas erat vltimas
 Temet secutum dicere ; sed lyram
 Pimplea, nè virtus ruberet,
 Continuit . Magis illa laudes
 Externa quærit, quàm proprio malè
 Gaudere cantu : Dulichij æmula
 Herōis olim, præeracti
 Sicanias sine fraude nymphas .
 Claram ergò amicæ progeniem domus
 Fer grata OLIVAE, grata Sodalibus,
 Ad astra, Clio ; guttur alnum
 Pierio somitata plectro .

Ma-

Magnum decoro dic patrum gradu,
Factis, vt alto sanguine, proximum

Sequi nepotem: rector alter

Orbis erat, regit alter urbem,

Verum Quirinus cui vice Felsinæ

Nomen dedisset, fertilis ingenî,

Morumquè lectorum magistræ, ac

Hesperijs sapientum Athenis.

Longa illa sacri munera Gregorî

Omitte: in vno sistito pignore;

Ac plaude diuino parenti,

Palladium statuiffe Romæ

Exindè captum: cui, vigiles vti

Seruabat ignes virgineus chorus,

E flore Loyolæ dicauit

Mercuriale genus, ministros;

Centum tenerent qui decus artium.

Huc struxit ædes regificâ manu

Cautus superbas, vt rediret

Socratici facies Lycæi.

Iamquè hic auitæ dignus adoræ

Succrescit hæres. Quàm benè murice

Ardet coloratus recenti!

Quantus inie numerum Senatus!

Tu verò faustâ sorte beatior

Lætare, doctæ maxime Palladis

OLIVA, custos: auspicato

Nonina siq̄ colere signo.

AD S. THOMAM DE VILLANOVA,

*Archiepiscopum Valentinum, cognomento Eleemo-
synarium.*

O D E XIX.

O Valentinâ speciose mirrâ,

Inter at cœli proceres videri

Pulchrior, cuius radiata formam
Gloria vestit ;

Augeas, THOMA, nouus vsquè lucem,
Lætus & sacros repares triumphos ;
Causa dicetur ; Miseri leuamen
Mite clientis .

Pauperum patrem celebramus omnes,
Cordis, ac dextræ memores apertæ ;
Pauperes patrem solitæ rogamus
Pignora curæ .

Rector, an vilis fuerit popellus,
Interest Diuûm nihil : æquat axis
Supplices ; quandoquè petunt, egenos
Ambo fatentur .

Sicût emotis agitatus vndis
Nauta conuexi videt astra puri,
Spectat extorris Superas viator
Hac vice rerum .

Ortus est quisquis genitrice terrâ,
Indiget cœlo fragilis benigno ;
Vitis in morem, latus ambientis
Coniugis vlni .

Vos manus, Diui, date : tuquè, Sancte,
Arca cognomen cûi laxa fixit,
Subleua nostram stipe paruitatem
Aetheris alti .

Aureâ tecum potianur vrbe,
Aureâ lato cumulare gazâ
Sortis expertes, propriumquè lassis
Ferre cubile .

Interim sacra Solymæ futuros
Incolas muni bonus efficaci
Gratiâ, nequod dubijs periculum
Gressibus obstet .

Tu potes miras properare messes ;
Frugibus mentes onera decoris :
Tu potes fluxos cohibere neruos,
Cor quoquè fræna ,

Præfulis scimus vigilantis artem,
 Nôsse sublinem cupimus patronum;
 Omnibus, quicquid voluêre, cedes
 Omnia factus.

Iure te talem veneratur orbis
 Per coronatas genialis aras:
 Et canit dulci chorus ore præsens
 Non sine plectro.

Nos Deo semper resonemus vni
 Gloriam patri, soboliquè laudem,
 Flamini sancto decus, hinc in omne
 Temporis æuum.

LAUDES BERNARDINI
 CARD. SPADAE.

ODE XX.

A Reu, & sagittis, & pharetrâ suam
 Armare vatem, more Cupidinis,
 Phœbus renidet. Vos, Camcœnæ,
 Figite, quod iaculemur album.

Rident colorem: purpureus mihi
 Stat meta pannus. Non ego risero
 Contrâ, tuus si, SPADA, candor
 Oebalium superauit ostrum?

Ergò decoro pectora vulneri
 Aduersa præbe, solus & integram
 Absume messem spiculorum,
 Totquè tuos numera triumphos.

Cui mitto primam laudis arundinem,
 Marti, an Mineruæ? cedere nescius
 Vterque cerratim laborat
 Ambiguam retinere dextram?

Scribêris heros fortis & arduus
 Docto Loyaco: Gallia suggerit,
 Tellusquè Saturni, stupenda
 Indomiti monumenta gordis?

Hæc

Hæc ille chartis acta pedestribus
 Transfunder ævo rectius . Aurea
 Scis vt Columbæ secla nuper
 Egregius celebrauit hospes .
 Nos mentis arcem, templaquè Palladis ,
 Non Martis enses, pectine Tëio
 Dicemus : imbelli tyranno
 Sic Lyciæ, placitumquè Musis .
 Quæ terra, vel quis Tethyos ambitus ,
 O Vaticanæ fidus adoreæ ,
 Quæuè aula Solis nomen ingens
 (Sole vagam comitante famam)
 SPADAE remisit discere ? seù fluis
 Torrente Pithûs liber, Apollinis
 Seù fræna mordes, obsequentem
 Attonitâ rapis aure mundum .
 His tu rigabas lilia fontibus
 Gallorum, vt alto vertice surgerent ,
 Legatus : exemploquè pronæ
 Arma tuo posuère gentes .
 Sic æqua doctæ iura Bononiæ ,
 Sanctæquè Romæ, Cecropij dabas
 Ritu Solonis, cùm teramplis
 Imperij, comitemquè curæ
 Urbanus altum tolleret ; omnium ,
 Quicumque visu gesta, vel auribus
 Hausère, conclamante plausu ,
 SPADA vige, bone SPADA viue .
 Hac arte cœptum perpetuas decus ,
 Et Innocentis flamme Pamphilî
 Intendis auram, tendis vnâ in
 Aufonij diadema regni .
 Tunc quanta nostri gloria carminis ,
 Vatisquè cultus ! tunc ego turgidus
 Calcabo Persarum tiaras ,
 Et supero caput axe condam .

DE S. FRANCISCI XAVERII,
INDIARVM APOSTOLI,

*ardenti charitate, & continuis laboribus in pro-
curatione salutis Gentilium.*

O D E XXI.

Q Vem rara virtus rectum adamantino
Thorace cingit, non vada Bosphori,
Fidemuè mendacem Charybdis,
Non Siculas Libycasue Syrtes
Tentare pallet. Testis Atlanticos
Qui vidit æstus, & fragili trabe
Intrauit oras barbarorum
XAVERIVS, sterilesequè terras,
Quin & viarum cæca pericula
Contempfit, audax omnia perpeti;
Durosquè sub dio labores
Victor, Hyperboreumquè frigus.
Non tot ferarum terror, & hostium
Obiuit agros Herculeus labor,
Non vis Alexandri cruenta,
Non Bromius, geminusquè Cæsar:
Quot ille brumâ, sub Ioue frigido,
Multo vel æstu, gentibus intulit
Leges Tonantis, quot seueri
Faucibus ex Erebi redemit.
Non flexit illum parcere nauibus
Indoctus Auster, non populi furor
Iniqua mandantis, nec Orci
Torua cohors, puerinè regum.

A D

AD ALEXANDRVM VII,
PONTIFICEM MAXIMVM .

*De Fratris, & Nepotum aduentu, post annum
S. P. Q. R. desiderium .*

O D E XXII.

Delius peregerat
 Iter serenis annum quadrigis,
 Mutuatus insupèr
 Sororis almæ duplicem laborem,
 Regna post sacri noua
 FABI, & solutos gaudio Quirites .
 Ecce causa plausuum
 Recens, Aprilis infecuta Nonas
 Digna flore Mäio,
 Diequè festo, victimâque digna ?
 Nunc vtrisque mentibus
 Vtrumque, Roma, nomen obligatâ
 Da FABI, atquè CHISII,
 Domum memor ceu Iuliam dicâsti ?
 Cæsar, auctor imperi ;
 Propagat astra Pontifex : tibi quis
 Maior ? at sui tamen
 Atlantas orbi sanguinis preçanti
 Cessit, abstinens diù,
 Tot euocatos Gratiarum alumnos .
 His Patres regentibus
 Pericla, nec plebs vlla, vel tumultum
 Expauescet, aut nefas .
 Nec illa Marios prisca, Flaviosuè
 Vrbs requiret omina :
 Habet, FABI te MAXIME ; hos habebit .

AD IOANNEM FINCHIVM;
SIGILLI CVSTODEM
Magnæ Britannia.

*Ditbyrambo quodam oblato, post laudes Parnassi Hippo-
gryphæ, id est, Hospitiÿ Graiënsis Alumnorum, ipsum
eorum principē, ob præclara facta in regio Senatu, &
ob dicendi grauitatem, & copiam, singulariter extollit.*

ODE XXIII.

E ià infueto nectareum melos
Effunde plectro, barbite: FINCHIVS
Mandat IOANNES: eia Olympi
Signa super, nebulasquè tolle.
Non, si supremo dicitur in loco,
Supremus audit: sic Colophonius
Diuos recensabat Sacerdos,
Fine Iouis capiente numen.
Quid hoc? sacrato mens trepidat metu,
Nec lingua vocem, nec sonitum valet
Heröis in tanti superbas
Ferre chelys stupefacta laudes.
Hunc Lesbij tu carminis alite,
Thalia, canta moribus aureis
Insignem, & Hyblæo tonantem
Ore vitum potiore succo.
Hunc & fideli iudicio refer
Minöa terris, consilijs Ioui
Tantum secundum, nec minorem
Pléiones volucris nepote:
Testis mearum terrigenum cohors
Sententiarum nota, Diespitris,
Diuumquè contemptrix, sagittis
Fusa tuis, tonitruquè Suadæ.
Iam tum decoro stemmate Gryphides
Lauriquè, myrtiquè, & tumidæ caput

Quer-

Quercus coronauere, & æquo
Cynthe, tibi statuere scamno.

Iô, ter iô, dic grauioribus
Pæana neruis, Angligenum decus,
Gentisque Gryphææ voluptas,
Iuris honos, duplicisque Pithus.
Iô, potenti scande polum pede, &
Inter serenæ fulgura gloriæ,
Lunæque, stellarumque flammæ
Fige domum, rutilumque nomen.

IN PHILOMATHI
MVSAS IUVENILES,
ex Germania Romam missas.

*Nomen, licet apponi scriptis ipse vetet, iure ac merito
peruagatum esse.*

O D E XXIV.

C Vltum è Vahalis, credite, finibus
Vidi libellum, Tybride conscio;
Romanque mirantem, & Latinum
Attonitâ velût aure Phœbum.
Prô, quanta venæ copia diuitis
Fluxit! quis ardor Teutonicas niues
Dissoluit infractas, vt irent
Molliùs Aönidum scatebris!
Prô quæ, Maronis seù crepuit tubâ,
Seù res Thyestæ, seù terigit sales,
Fallebat aut plectro laborem,
Vis erat, imperiumque vati!
At nulla pictæ nomina legimus
Præfixa fronti. Quis negat abditum
Luçere Solem? fat patebat
Ipse suo Philomusus astu.
Candor sepulchri proditor est sui, &
Mirè çorusçam vibrat imaginem

Oppressus : exclamamus omnes ,
 Ausonium pupugisse ciuem ,
 Interquè gentis regna tot Italæ ,
 Urbesquè regni, claudere iam licet
 Tellure certâ , blandientes
 Eloquio referente Senas .
 Dicam & vetustam, si lubeat, domum ,
 Stirpemquè, fortemquè . Agnitus, ô Bone ,
 Frustrâ verecundo resistis
 More, superuacuoquè iusti
 Honore peccas . Nube modestiam
 Educ opacâ, nec Iuuenilibus
 Plus virgo Musis, obserato
 Solus ama latitare Pindo .
 Quorsùm iuuentas, & decor, & placens
 Guttur Camcænæ, si tamen horridis
 Munitur vmbri? Diua certè
 Fit mulier, volet ipsa cerni .
 Iam Dædaléæ nil opis indiga
 Turresquè, murosquè, & populos super
 Rumoris euasit curuli ,
 Nomen agens meritasquè laudes :

IVNONIS VATICINIVM!

*De nuptijs Iacobi Sauorgnani Comitiss, & Andrianae
 Antelmæ, nobilium Venetorum .*

*In gratiam Benedicti Syluatici, Profess. Patauini,
 & Eq: D. Marci, præceptoris sui .*

O D E XXV .

N Vptam superbus cùm nitidam Comès
 Lectum ad iugalem duceret, agmine
 Stipata Diuatum coruscas
 Igne sacro, tonitruquè sedes
 Diuisit, ingens nota recluderet
 Vt Iuno fatum . Pergite, pergite ,

Benè

80 IAC. ALB. GHIBBESI Y
 Benè ominato sancta gressu
 Fœdera concelebrate, Sponsi ?
 Solui morantem nexibus exue
IACOBE, zonam virginis, & locum
 Non antè tacto cede claustro
 Egregiâ tumuisse prole .
 Certo fidelis tempore viuidum
 Promitto natum : tunc ego partui
 Adstabo Lucina, & laborem
 Auxilijs minuam secundis .
 Virtute magnum tam referet patrem ,
 Decore matrem, iunctus vt audiat
 Cupido Mauors, ac reuinctam
 Ore trahet, galeaquè turbam ?
 Hâc arte victor sub Venetam Leam
 Vrbesquè, genresquè, ac tumidos duces
 Submittet olim, te parentem
 AEmulus assimilare factis .
 Tu nata glauci nobilis Adriæ ,
 Quâ belluosum Nerea deprimit
 Iniecta moles, ANDRIANA ,
 Plaude tibi, sociumquè vitæ
 Gratare dulcem . Scilicèt alterâ
 Dignus maritâ non erat, altero
 Nec tu marito : fortis heros
 Connubio Charitem iugauit .
 Casto facesset rixa procûl thoro, &
 Insanus ardor, virus amantium
 Infame; quem propter Tonanti
 Ipsa etiam furibunda pugno .
 Adiecta verbis oscula mollibus
 Vterque figet ; perpetuus iocus
 Euoluet æuum, nec senectæ
 Damna dari patietur annis ;

¶

IAC.

IAC. ALB. GHIBBESII

POET. LAVR. CAES.

LYRICORVM

LIBER III.

CAROLO SECVNDO,

MAGNAE BRITANNIAE REGI.

ODE I.

Rex legitimus, simulquè iustus idem à Deo semper protegetur. QUERCVS VATICINIVM (in quam, deposita persona regia, seruilique assumpto habitu recepit sese Carolus II. tyrannum fugiens, post cladem Vigorniensem) de ruina regni, deque gloria Britannica gentis sub ipso reparanda.



OELI superbâ forte vicarium
Terras per omnes imposuit Deus,
Dixitquè regem, qui solutas
Comprimeret ditione gentes.

Quòd si beârit moribus inclytis,
Tum verò puram mentis imaginem
Appellat æternæ, nec horret
Ipse suum cumulare nomen.

Sic est: rotundum Dij quoquè, Principes,
Versatis orbem, lumine sedulo
Motoris aspecti supremi,

Servat avis velut Afra pullos;
Non ille Martem sustinet exterum

Durare contrâ: classica ciuium,

F

Ca-

82 IAC. ALB. GHIBBESII

Cædesquæ detestatur atras ,
 Inquæ malos regerit magistros .
 Contempfit vinctum nemo caput diu :
 Instabit axis fulmine vindice ,
 Ut licitor occulter securim, &
 Carnificum laniena parcat .
 Testis canoræ Magna Britannia
 Sat veritatis nota, furentibus
 Maior procellis; illa victa,
 Illa merum super, illa victrix .
 Periura strato quid Duce rettulit
 Cohors latronum? quod madidi impio
 Titanes ausu: vincla, & vncos ,
 Atquæ cruces, & amara dignæ
 Tormenta mortis, non sine gaudio
 Hæredis alti: quem prius arduis
 Latere sub ramis volucrem
 Impulerant; referente casus ,
 Aegri vt foueret vulnera pectoris ,
 QVERCV secundos . Albion, Albion ,
 Illustris & mater Britannæ
 Gentis, Hyperboreiquæ latè
 Regina ponti, sic laceram modis
 Te cerno miris? quis potuit furor
 Mutare tantum? quæ Megæra
 Sanguineis agitat flagellis?
 Sceptrum, & coronam triplicis imperi ,
 Legesquæ sanctas, & populi decus ,
 Nomenquæ, & ingentes triumphos
 Heu pudor, heu, scelerata calcas .
 Sed laudo factum . Nam quid inanium
 Rectore merso fulgor imaginum
 Addat laboranti carinæ ,
 Magnificæ nisi signa cladis?
 Excussus (infandum!) occubuit Pater
 Ceruice casâ truncus: id aggrauat,
 Quod per rebelles; atquæ crimen
 Iustitiæ faceret tribunal ,

Sedisse regem. Tum fera turbidi
 Exempla Solis nocte vel ignibus
 Suspecta deterrere mundum,
 Tale nefas pariente iure.
 Ius esto iniquum, perfida cum fides
 Eludat, ex quo destitit Anglia
 Ritus auorum -- Sed sagaci
 Vocis habet vel hiare pondus!
 Hinc omne flagitium, huc patriæ probrum,
 Labemquæ sortis tu propriæ refer,
 Præclare Fili; cura Diuis,
 Cui superant quoquæ cura Diui.
 Audi: resigno, quod mihi credidit
 Dodona fatum præscia filia,
 En cinctus ex omni teneris
 Parte, miser: tamen insequentem
 Falles odorem, nec dabis hispidis
 Ludum molossis. Aëriam prius
 Testudo præuertet palumbem,
 Antè citos grauis vrsa lyncas.
 Quantus viris est, quantus equis labor,
 Puluisquæ campo! discutit horridos
 Dùm turma sylvarum recessus,
 Te reperire ferox latentem.
 I, perge (quandò degenerant rosæ)
 Matris Britanno lilia carduo
 Miscere paullùm. Pande vela
 Opposito sinuata Gallo.
 At non globosæ leniet histricis
 Flos albus ictum. Prò scelus! exeret
 Et iste spinas; nec valebit
 Sanguinis hospitijquæ nexus.
 Iustus tyranni scilicet æquior
 Charis propinquis? Irreparabilis
 Cum Fratre pellatur STVARTVS,
 Haud aliter sociabo dextram!
 Obtemperandum: lex ita præcipit
 Arcana regni. Dispereat malè,

Quicumque magnis viperina
 Principibus documenta scripsit
 Iniuriosis tu tamen eripe
 Quietis empræ conditionibus
 Mentemquè, corpusquè : & pudendi
 Linque procul monimenta pacti .
 Errare præstat qualibet exulem
 Tellure . Quanquam (nè dubita) asperis
 Ostendet in rebus leuamen ,
 Atquè domo, atquè opibus benignis
 Agnoscer amplæ tutor Iberiæ
 Parem Philippus ; tradere Belgici
 Frænos leonis, totiusquè
 Arbitrium generosus oræ .
 Hic, hic federo finitimus tuo
 Impunè regno terror, idonei
 Captare voluendis regressus
 Tempus amans patienter annis .
 Eheù, cruentas intereà manus ,
 Ensesquè nudos condere mutuis
 Ritu ferino perduelles
 Pectoribus, iugulisquè gaudent .
 Non tutus illic à patre filius ,
 Fratremquè frater perdit, & hoc vocat
 A stirpe coniungi, si in vnum
 Sanguis eat varius sepulchrum .
 Eheù, fatiscit seditionibus
 Et ipse Olympus, numine maximi
 Cultuquè diuiso Tonantis ,
 Quot capitum negat Hydra formas ,
 Hic fonte sacro respuit abluï ,
 Hic iuniorum nomen & ordinem
 Odit Lycurgus, fingit alter
 Attonitum tremulus pauorem
 Cœlestis iræ . Sed ioculario
 Terrenus vltor non dubios metus ,
 Illisquè lymphatis reduces
 Morigeræ pia sensa mentis .

Et iam (quis vnquam crederet ?) agminis ,
Rixæquè, & ausi pœnitet impios :

Amate, clamantes, amate

Sol remea, patriæquè fulge,

O certa gentis spes miserabilis ,

Custosquè noster : te malus expulit

Error ; probrosis tu ruinis

Affer opem, populoquè parce .

Qualem illigatæ Persea virgini

Vidit marinis Nubia belluis ,

Octaua te messis potentem

Imperio reuehet paterno .

Quantùm fideles iuuerit incolas

Notam patroni lambere dexteram ,

Polluta plus multò studebit

Præcipitare fugam caterua .

Has tunc latébras quàm cuperent lupi, &

Primus luporum trux Cromoëllius ,

Fatale bustum, vel talentis

Omnibus emeruisse raptis !

Frustrà : volentes, ceù lepores, regi

Sublime tristi pondus ab arbore

Coges videri ; nec sepulto

Vrna dabit veniam tyranno .

At parte festis ex aliâ choris

Plaudent amici . Lætitiâ vndiquè ,

Ludosquè, solennesquè pompas ,

Atquè epulas sine fine dulces ,

Promente Chij dolia Libero ,

Per & viarum strata, per & domos

Sentire, Neptuni per æquor

Fas fuerit, Thamesisquè tergum .

Quin & remotos clamor amabilis

Excibit Indos : Hesperius Tagus

Accedet ardori sodalis ,

Tequè colet generum tributo .

Euoe, recepto sic Duce tinniant ,

Potentquè longùm . Mens scelus eximit .

Qui damna, qui famam refarcit,
 Herculeo celebretur haustu.
 Benignitatem non ego tunc Iouis
 Desiderârim. Tu mihi, CAROLE,
 Florere præstabis, pericli
 Usquè memor, folioquè tutus.

AD ANTONIVM CABRERIVM
 AVENDANNVM,
Jurisconsultum Hispanum.

*Cùm librorum septimum, Vota pro salute Principis,
 emitteret.*

O D E II.

F Aceffe vulgus. Displicet impiam
 Audire vocem, sacrificas manus
 Imponit aris dum sacerdos
 Iustitiæ, rutilamquè Divûm
 Gestit cohortem non popularibus
 Ambire votis. Fallimur? inronat
 Læuum, renidentiquè micas
 Fulgura corripuère flammâ.
 Dedere sanum sidera Principem,
 Dedere fortem: sidera questibus,
 Utquæ, CABRERI, reposcis,
 Blanda tuis, famulumquè cælum.
 O magne mystes; quid tibi soluerit
 Magnus Philippus, vel genus Austrium?
 Urbesquè, gentesquè, atquè Iberi
 Noninis imperiosa virtus?
 Debemus omnes Hesperix tibi
 Regem receptum. Civicus heu! Duce
 Motus perempto sæpè fumum, &
 Invidiæ stimulavit ignes.
 Nondùm acquiescis: vota perennibus
 Mandas libellis, candidus eloquî,

Pennæquè diues, quos in æuum
 Posteritas, pietasquè voluet,
 Mentiquè trader discere. Septimum
 Exit volumen; iure ter & quater
 Mererur affectare sedem
 Cum reliquis radiantis Hœdi.

AD ASBESTVM MYRMIDONVM
 TETRARCHAM.

*Illius restitutionem victoris cum insigni hostium
 clade commemorat.*

ODE III.

R Espexit æquum lucidus arbiter
 Mundi iacentis, nunc domino bene
 Nouo subacti, nunc atroci
 Perfidia tolerantis hostem.
 Regem aut tyrannum bellicus arguit
 Plerumquè finis. Ceù digito, Deus
 Mauorte commonstrat secundo,
 Cui dederit diadema iustum
 Astris amico. Clarus ades rei,
 Dictiquè testis, Myrmidonum potens,
ASBESTE, rector: sic auitæ
 Imperium moderaris oræ.
 Tantus virorum, cornipedum pauor
 Stragesquè fuso par erat agmine
 Depræliantum; te cohortes,
 Te patrios acuate Diuos.
 Hinc te laceffet noxius, ac tuam
 Impunè fortem nemo, periculis
 Edoctus horrendis benigno
 Sceptra çapi reuoluta cœlo.

AD D. VIRGINEM MARIAM.

*In gratiam Hispanorum, Conceptionem Virginis festis
sub vesperam ignibus, machinis, & cantibus, ipso
Paschatis die, Romæ quotannis celebrantium.*

O D E IV.

Regina, putis purior ignibus,
Quos æquat axi laudibus in tuis
Hispanus ardor, dùm MARIAM
Firmat ouans sine labe natam:
Surgentis almo tempore Filij
Descende, voti conscia. Vesperum
Si mutat Eos, luxquè noctem,
Verte bono malè cœpta casu.
Tu pestis atræ femina, tu famem,
Cæcosquè pelles à populo metus:
Tu bella regnorum cruenta
In Scythicum rapies tyrannum.

AD CHRISTINAM,
REGINAM SVECORVM.

*In accessu eius ad Urbem, sub Alexandro VII.
Pont. Max. sedente.*

O D E V.

Natam supremo crediderant Ioue
Gentes Mineruam: diua tenebitur
CHRISTINA Gustavo parente,
Multiplicè decorum nitore
Spectanda terris. Viuit adhuc memor
In prole sanguis; regia suscitât
Herôis exemplum virago,
Ceu çatulus sequitur leonem;

Patris

Raptoris vt stellæ mouentur
Solis ad arbitrium sequaces :

Quocunque regum sed sapientia
Expugnat auro corda valentiùs :

Hæc pacis Europæ superbis
Te statuit dominis sequestram :

Hinc Tuscus aliam Tybris adorem ,
Festosquè plausus aggerat hospita :

Hic rumor astrinxit Sabæ
Aufonium Salomona matri .

A P O L L O
LYRAM SVAM LAVDAT

contra Mercurij caduceum .

O D E VI.

CYENÆA Siren, blanda biuerticis
Regina cliui, Pieridum lepos ,
Pattisquè Dictæi voluptas ,
Chara polo, LYRA, chæra terris :

Tu dulce tormentum auribus admoues
Fastidiosis, & vigiles Deum

Misera, mortalesquè curas
Castaliâ recreas sub vmbra .

Te belluosi murmura Bosphori
Canente ponent ; tu fera robora

Mollibus, ac aurita Cyrrhæ
Tesqua trahes, rigidasquè cautes :

Audax hiulci fulminis arbitra

Tollis rubentis tela Diespitris
Phlegræa, & inuito tonantes

Vertis equos, retrahisquè currus ;

Effare, Mauors, quis tibi cuspidem ;

Effare, Pallas, quis tibi Gorgonis

Extorsit ora, cum Pelasgis

Iliacæ quaterentur arces ?

Tu nempè ferrum Martis, & ægida,
 Irasquè belli carmine temperas,
 Post te nec æratas phalanges,
 Nec rigidos minitantis enses.
 In à insueto nectareum melos
 Effunde plectro: quale per ardui
 Conuexa Parnassi & cupressi,
 Et fragiles didicère myrti.
 Vel quale sacro muta silentio
 Excepit arcis fidereæ domus,
 Postquàm Gigantæos tumultus
 Iupiter, & nimiùm ferocem
 Pugnare Rhætum fulmine lurido
 Sacrârat Orco: cùm spolijs Mimæ
 Onustus acclamaret æther,
 Rector iò Superùm triumphe.
 Iò, ter iò iam grauioribus
 Præana neruis ingemina, mihi
 Laurusquè victrices, tibi què
 Pietios propera corymbos.
 Impunè non te temnet Atlantius
 Nepos, tonantis stirpe licèt Iouis
 Iactet creatus, & potentem
 Eloquij referare riuos
 Pitho sororem vendicet: haud mihi
 Pro te disertæ flumina copix
 Desiderârim, nec loquacem
 Palladij strepitum fluenti.
 Pro te; rigenti quæ Rhodopes iugo,
 Vocemquè mutis piscibus entheam
 Donabis, ac mellita dulcis
 Ora cynci, facilemquè Suadam.

DE MAGIS

Christum infantem adorantibus.

ODE VII.

Scan-

AD D. VIRGINEM MARIAM.

*In gratiam Hispanorum, Conceptionem Virginis festis
sub vesperam ignibus, machinis, & cantibus, ipso
Paschatis die, Romæ quotannis celebrantium.*

O D E IV.

Regina, putis purior ignibus,
Quos æquat axi laudibus in tuis
Hispanus ardor, dùm MARIAM
Firmat ouans sine labe natam:
Surgentis almo tempore Filij
Descende, voti conscia. Vesperum
Si mutat Eos, luxquè noctem,
Verte bono malè cœpta casu.
Tu pestis atræ femina, tu famem,
Cæcosquè pelles à populo metus:
Tu bella regnorum cruenta
In Scythicum rapies tyrannum.

AD CHRISTINAM,
REGINAM SVECORVM.

*In accessu eius ad Urbem, sub Alexandro VII.
Pont. Max. sedente.*

O D E V.

Natam supremo crediderant Ioue
Gentes Mineruam: diua tenebitur
CHRISTINA Gustavo parente,
Multiplicè decorum nitore
Spectanda terris. Viuit adhuc memor
In prole sanguis; regia suscitât
Herôis exemplum virago,
Ceu çatulus sequitur leonem;

Patris

Patris vel ipsis gloria belluis

Mirè efficaces addidit impetus :

Nec dama pantheram ferocem

Suxit iners, leporesuè tigris

Mulsi pautes . Quis ducis ardua

Trophæa nescit ? Numinis ah ! quoquè

Fixisset aris, non caduco

Ille caput redimiret auro .

His obstitisti cauta timoribus

Regina de te, incredibili fugâ

Dum ponis Arctôi coronam

Imperij, rutilumquè sceptrum .

Plenum furoris quod fuit, vt super

Mortale, visum scilicèt omnibus :

Sed facta terrenis probabat

Consilijs inimica cœlum .

Humana rectum nausea iudicat

Plerumquè : prauis noster amor facit

Aut cura normam : certa rerum

Nube Deus simulachra texit ,

Promenda paucis, quos amat vnice ,

Ridetquè mundi ludicra : te suam

Dignatus, vlticem profanos

Balthidos irrequietæ in hostes ?

Iam fama, versi nuncia pectoris ,

Clangore septem clara Trionibus ,

Per regna, per gentes, ad omnem

Sarmatiæ penerrauit oram .

Iam pronus alto vertice Carpatas ,

Ac tauriformi Vistula flumine

Tantâ redonabunt magistrâ

Colla iugo socianda Romæ .

Tum fortè sauxæ Luna Propontidos

Decrescet audax, tum rabiem, & minas

Perdent Britannorum molossi, &

Nulla Gebenna fouebit Hydram ?

Mores potentum plebs minor afficit,

Gaudetquè magnis viuere legibus ,

Rapto

Raptoris vt stellæ mouentur
Solis ad arbitrium sequaces :

Quocunque regum sed sapientia
Expugnat auro corda valentiùs :

Hæc pacis Europæ superbis
Te statuit dominis sequestram :

Hinc Tuscus aliam Tybris adorem ,
Festosquè plausus aggerat hospita :

Hic rumor astrinxit Sabæ
Aufonium Salomona matri .

A P O L L O
LYRAM SVAM LAVDAT

contra Mercurij caduceum .

O D E VI.

CYenæa Siren, blanda biuerticis
Regina cliui, Pieridum lepos ,
Pattisquè Dictæi voluptas ,
Chara polo, LYRA, chæra terris :

Tu dulce tormentum auribus admoues
Fastidiosis, & vigiles Deûm

Misera, mortalesquè curas
Castaliâ recreas sub vmbra .

Te belluosi murmura Bosphori
Canente ponent ; tu fera robora

Mollibus, ac aurita Cyrrhæ
Tesqua trahes, rigidasquè cautes :

Audax hiulci fulminis arbitra

Tollis rubentis tela Diespitris
Phlegræa, & inuito tonantes

Vertis equos, retrahisquè currus ;

Effare, Mauors, quis tibi cuspidem ;

Effare, Pallas, quis tibi Gorgonis

Extorsit ora, cum Pelasgis

Iliacæ quaterentur arces ?

Tu nempè ferrum Martis, & ægida,
 Irasquè belli carmine temperas,
 Post te nec æratas phalanges,
 Nec rigidos minitantis enses.
 In à insueto nectareum melos
 Effunde plectro: quale per ardui
 Conuexa Parnassi & cupressi,
 Et fragiles didicère myrti.
 Vel quale sacro muta silentio
 Excepit arcis fidereæ domus,
 Postquàm Gigantæos tumultus
 Iupiter, & nimiùm ferocem
 Pugnare Rhætum fulmine lurido
 Sacrârat Orco: cùm spolijs Mimæ
 Onustus acclamaret æther,
 Rector iò Superùm triumphe.
 Iò, ter iò iam grauioribus
 Præana neruis ingemina, mihi
 Laurusquè victrices, tibi què
 Pietios propera corymbos.
 Impunè non te temnet Atlantius
 Nepos, tonantis stirpe licèt Iouis
 Iactet creatus, & potentem
 Eloquij referare riuos
 Pitho sororem vendicet: haud mihi
 Pro te disertæ flumina copiæ
 Desiderârim, nec loquacem
 Palladij strepitum fluenti.
 Pro te; rigenti quæ Rhodopes iugo,
 Vocemquè mutis piscibus entheam
 Donabis, ac mellita dulcis
 Ora cynci, facilemquè Suadam.

DE MAGIS

Christum infantem adorantibus.

ODE VII.

Scan-

S Candunt monstra gradus : nascitur en Deus,
 Virgo parturit, & quadrupedum comes
 Duro pauper anhelat
 Infans sub lare, sub gelu :
 Atqui fidereus non latet agnulus
 Custodes ouium : mollibus ilicèt
 Instrauère rigentem
 Villis, atquè inopem dape :
 Defectusquè licèt lumine, Memnonis
 Haud fallit populos Sol, prior aspici
 Phœbo, cùm negat vmbras :
 Suspenditquè meridiem .
 Afflati celerant, sidere præuio,
 Chaldæi puerum visere Principes,
 Lecto munere regem, &
 Confessi genibus Deum .
 Pandora tuleris pyxida numini,
 Plus mens pura mouet . Ternus onyx, quia
 Pronus, non quia plenus,
 Riuos sanguinis exprimet .

AD LEOPOLDVM MEDICEM,
*Ferdinandi II. Magni Ducis Etruriae
 germanum fratrem .*

*Libello, quem inscripserat Trismegistum Mediceum Ma-
 gno Duci dedicatum, oblato illi, tum eius scientiam
 literarum, tum patrocinium collaudat .*

O D E VIII.

Post fraterna Ducis lumina, quem volo
 Polluci socium te nisi Castora
 Nostris, ô LEOPOLDE,
 Illucescere paginis ?
 Nautas fidus uti Tyndaridum regit
 Solaturquè vagos, vester Apollinem

Ob-

Obiectare Camœnis

Sic vultus profugis solet.

Quòd merces studijs, quòd decus artibus

Et laus restet adhuc finibus Italis ,

Vestrum est, gens Medicæa :

Diuim credo equidem genus

Demissum excidio barbariæ . Pater

Hoc Cosmus patriæ cœpit, honoribus

Laurens hæsit iisdem, &

Nusquàm sanguinis immemor

Vorum absoluit ouans magnanimus nepos ,

Orbi iura dabat dùm Leo Pontifex .

Hinc implet Leo librum ,

Regi quem dico Tusciæ .

Priscæ facta domûs tu quoquè perlege ,

Atquè annecte tuis . Contrahis æmulus

Majorum monumenta ,

Fastis ipse nouis seges .

Fies præcipuè Mercurialibus

Res ac meta viris, te columen suum

Nunquàm tollere fessis ,

Suadæ & dicere corçulum .

IN HONOREM D. GEORGII,
ANGLIÆ PATRONI.

*Ob coronam eo die Regi CAROLO II. reduci impostam,
Genio longinquis etiam Britannis indulgendum. Ama-
rus sarcasmus in Cromoëllum .*

O D E IX.

G Emmeum vero diadema regi

Hostibus fuis properate, ciues :

Nos mari longo iuuat æmulari

Gaudia festos .

Myrtæa frontem decoremus umbrâ ,

Et cruor Bacchi fluat . O mero si

Mar-

94 IAC. ALB. GHIBBESII
Marfyæ ritu Cromoëllus virem
Præstet habendo !
Da, puer, plenos calices in orbem ;
Redditus septem Carolus bibatur :
Luce quid sacrâ potiùs GEORGI
Fecerit Anglus ?

IACOBO ROSPIGLIOSIO,
CLEMENTIS IX. PONT. MAX.
Fratri Filio.

*Ob receptum è Belgio patronum veterem, ac Romanum
ad sacram Purpuram euocatum, Ghibbesius aram non
iam Fortune domina casus, sed Virtuti Reduci, qua
meritorum est spectatrix, exultabundus statuit.*

O D E X.

O Mine, & voto, precibusquè tractus
Gaudia instauras, IACOBE, Romæ ;
Post coronatum Patrum daturus
Iura Quirino .

Quin ad extremas moderamen oras
Rex feres latè minor, obsequentem
Aurêâ ducens populum catenâ
Herculis instar .

Illâ vis linguæ micat, illâ mentis ,
Illâ diuini rapit aura vultûs ,
Fortior Musis, & agente tigres
Fortior Orpheo .

Nam quod arguræ melos Hippocrenes
Pulsibus certet benè temperati
Pectoris? quondâm potuère chordas
Vincere fibræ .

Ignium est verè Samius rotantum
Iste concentus ; nequè fabuloso
Stat fides cœlo, Siculâ quod iuit
Arte per horas .

Inue-

Inuenit stellas animus serenus,
 Vel facit: totum gerit intus axem;
 Cui quies semper comes, & voluptas,
 Et iocus omnis.

Talis assistit tibi, clare Princeps,
 Fidus heroi Genius: remotis
 Quod foret mirum generosa Belgis
 Cernere facta.

Vnde centenis grauidum trophaeis
 Magnus acciuit Pater, ut curuli
 Per viam sacram vehereris albâ,
 Martis in vrbe,

Ipse palmato rubicundus ostro,
 Proximus, turbâ comitante, sanguis:
 Dum sonat plausus, feriuntque lætæ
 Sidera voces.

Sæpè præcepit rudis herba messem, &
 Spes boni tempus facit ire præsens:
 Sic tui lucro reditus Quirites
 Antè fruuntur.

Quos dies promunt, duce te, beatos!
 Quos dies condunt sibi quisque regnum
 Deorat iam nunc radiantis æui
 Diuite venâ.

Candidas CLEMENS reparauit artes
 Sanctus immensi moderator orbis:
 Tu graue exemplum solides, memento,
 Subditus Atlas.

Iuuerit noxæ statuisse pœnam,
 Præmio rectum decorare digno:
 Iuuerit probri facilemque laudis
 Noscere ciues.

Omnis edicti fore enim tenacem
 Certius gentem, dominisque pronam
 Fascibus, cum lex proceres & imos
 Ceperit æqua.

Publicæ par res erit hæc Platonis,
 Tu reges quando Sapiens. Faceſſat

Pace cum longâ Numa, praualebunt
Otia nostra.

Dexter ô adsis igitur, nec almæ
Differas vr̄bis decus, aut precantum
Vota : tam nullis adamata nautis
Stella refulsit .

Hic ego, spretâ vice fortis, aram
Pono Virtuti reduci : sit illa
Numen Augusti, meritis dicabo
Thuris honorem .

DIALOGVS
GHIBBESII ET PSYCHES.

*Missis pœticis studijs, quæ recreant animum, anima ne-
gatio, quod magis urget, vacare in posterum unice
constituit .*

O D E X I.

GH. **D** Vm certo tibi foedere
Hærebam socius, nec bona mutuam
Conferre abnueras opem ;
Auroræ potui spernere Phosphorum .

Ps. Dùm non mentem aliò leuis
Vertisti, nequè erat post Polyhymniam
Psyche ; tunc tua candidè ,
Vel Solis potui spernere Cynthiam .

GH. Siren cantibus efficax
Vocisquè & citharæ Pieris attrahit :
Quam vates docilis sequar
Mulcentem tremulo carmina pollice .

Ps. Illix gratior artium
Me cœli recreat Christus imagine :
Quem per dura sequar crucis
Pingentem roseo sidera sanguine ?

GH. O factum benè ! tu mihi ,
Psyche, rursus eris pro Polyhymniâ :

Par-

Parnassus valeat duplex ;
 Affecto Superum tangere verticem .

Ps. O dictum bene ! tu mihi
 Rursum sponsus eris ; neq̄ comitem abnego ;
 Seu nos vita simul tenet ,
 Seu fatum placidis transferet arcibus .

IOANNI FRANCISCO PAVLO GONDIO ,
 S. R. E. CARDINALI
 dicto DE RETZ .

Cuius recessu ad dynastiam suam Commercium, accidisse id narrat, quod in defectione Solis usu venit; accessu rursus frontem omnes exporrigere; literatos in primis prægestire.

O D E XII.

Contractis homines fibris
 Ut stant, & volucres, ac pecudum genus ;
 Sol quandoquæ laboribus
 Immerfus piceis occuluit iubar :
 Aut quantâ querimoniâ
 Depulsum Superis vidit Apollinem
 Parnassi viduus chorus
 Commutare gregi pascua regio ,
 Solantem vice barbiti
 Curas indecori mentis arundine ,
 Amphrysi prope flumina :
 Sic te , Romuleæ sidus adoreæ ,
 Omni gentis ab angulo
 Quærebat tacitum curia Gallica
 Iamdudum : nequæ fanius
 Applaudit reduci , Tentyra quàm Deo
 Inuento . Prior ordines
 Rex præcessit ouans excipientium ,
 Oblatâ facilis manu .
 Nobis, chare, tamen dic rogo vatibus ,

G

(Do-

98 IAC. ALB. GHIBBESII
(Doctarum decus artium)

Quò, GONDI, gelidos attuleras metus
Spreti præsidij morâ ?

Cur tam longa dabas signa ferociæ ?
At Commercium scilicet ,

Diffugisse vocas : his phaleris rudem
Oblima populum : mihi

Prætexis placido crimina nomine :
Æquo mortiferæ audiunt

Parcæ iure Deæ ; non aliter cadit
Diris Eumenidum nota .

Pulchræ decipimur vocis imagine ,
Narcisso similes nimis :

Sirenumquè modi blandiùs enecant
Vectores male credulos .

Quis tu cunquè venis conditionibus ,
Vel falli pretium est . Nouo

Lætæ flore comas Castalides premunt ,
Indulgentquè agiles choris ;

Ætatis memores, vt decet, aureæ ,
Phœbo non alio datæ ,

Quamuis diuitibus perfluat Indijs .

IN ASCENSIONEM
CHRISTI.

+

ODE XIII.

Q Vis me Pierio pectine blandior
Delenit strepitus ? cum citharis lyræ ,
Vocesquè, ac tremulo murmure buccinæ
Latè sidera personant .

Auditis ? facili ludor imagine
Vecors ? ah, iuuenum cerno micantibus
Alis conspicuorum æthereum globum ,
Et Pæana canentium .

Ah, cerno medium firmate candido
Insignem, domitæ cum spolio necis

IE-

IESVM, stelligeri dum vaga balthei
 Pulchro calcatur ouans pede
 Victor lumina : cui Cynthius aureos
 Submittit radios, laxaque dexteræ
 Concedit rosæ fræna iugalium
 Curru non sine flammeo .
 Non sic præcipiti fulminis arbitra
 Obstantes nebulas remigio secatur
 Alarum, placidas diuidit ardui
 Sedes CHRISTVS ut ætheris .
 Hinc patres Erebi carcere lurido
 Exempti, meritæ munus adoroæ
 Decantant, resonis hinc Superum chori
 Signis lætitiæ fremunt .

AD IANVM.

*Eum de fato Card: Spada anno vertente consulit .
 Responso triumphat .*

ODE XIV:

I ANE, si Martem colimus secundum,
 Luce cui debet tener annus ortum,
 Sed potens festas voluit mouere
 Roma Calendas;
 Si nouam donis cumulamus aram
 Virginis ceræ, liquidique thuris,
 Cludi ames posthæc, retegas precor nunc
 Pauca, Patulci .
 Vate te, rauca tripodem Sibyllæ
 Poscerem nunquam, Lyciasque fortes:
 Tu bifrons secti specularis æui
 Certius horas .
 Luce solenni vaga cuique pompa
 Munerum currit: pudet obligatum
 Vnicè SPADAE caput exprobranti
 Cedere turbæ .

G 2

Non

108 IAC! ALB. GHIJBESII

Non ego Lydæ graue pondus actæ,
Non Tyri conchas, Arabumquè messes
Oro custodem: bona da ligatis
Omina verbis.

Versibus gaudet; tenuare versus
Est opis nostræ, pretiumquè summum:
Vndè post funus redit alma dignis
Aethere vita.

Dic, Pater: casus aperi futuros
Principis: lætæ generosa Parca
Fila deducunt; age, dic fidelem
Tutus in aurem.

O ter, ô felix quater Vrbs & orbis!
O auis nascens ego pullus albæ!
Dona responsis metuam Quiritum
Talibus æqua?

IN PESTILENTIA
ITALIAE M. DC. LVI.

*Nulla septi, vel portæ munimine arceri mortem satis
posse. Vnicum vallum aduersus pestem esse rectam
conscientiam.*

ODE XV.

Sapientum est nequè acori dare causam,
Neque forti mala vallo fugere; aut ex-
agitari minuentes placidæ tempora vitæ.
Mouet omnes Libitinæ grauis vna:
Vocat imos, vocat altos Dea reges,
Inamcænæ rapiendos onus aptum Stygis vndæ.
Adamantis triplicatos, agè, vectes,
Agè portas, & aheni loca Iani
Cape tutus: violento penetrabit pede fatum:
Trahet extrâ lacrymosum citò funus,
Genitum sic: per & arces, per & enses
Faciis instar crepitantis superabit vâga pestis.

Quod

Quod habemus furibundæ retinaculum?
 Benè sensum, benè dictum, benè factum:
 Mala mortis moderantur generosæ bona mentis :

HENRICO HOVARDO
 DE NORFOLCIA.

*Cùm Byzantio à Lesleitana legatione Romam redux,
 per Hispaniam tenderet in Britanniam.*

O D E XVI.

Byzantina sacris mœnia turribus
 Urbis Romuleæ, credere certior,
 Mutâsti; bona postquàm
 Lunæ fœdera videras
 Consentire Aquilis, prædibus Imperi.
 Huius pacis eras tu quoquè pars grauis,
 Leslæo celer ire
 Extremâ comes Angliâ.
 Auctori minimùm dissidet integro
 Spectandus socius. Quem cuperet prius
 Prudens Cæsaris Hermes
 HOVARDO sibi Theseo?
 At non è medijs ille penatibus;
 Primus venit apex: cui gerit vnicè
 Arundelia morem,
 Quo Norfolkia ducitur.
 Vrbs nunc sancta alacri te capit hospitem
 Vultu, flere nouis prona recessibus,
 Mox tendes vbi claræ
 Aulam visere Iberiæ.
 Merces digna viæ, pax erit altera,
 Legati nequeunt quam duo iungere
 Reges inter acerbos,
 Decreto facilis tuo.
 Tandem laurigeris fœtus honoribus
 Intrabis cupida limina patriæ,

102 IAC. ALB. GHIBBESII
O HENRICE, triumphans,
Vt Consul Capitolium.

FLAVIO CHISIO,
Alexandri VII. P. M. fratris filio.

*Salesij, & Patruī laudes offert, quasi præludia ipsius
gloriæ; ad quam celebrandam mōx, ubi sacra Pur-
pura ornatus fuerit, se accinget.*

O D E X V I I .

C Astoris vultu, mare quo serenat,
Vrbis ô lumen, lege nostra, FLAVI,
Scripta: Romanæ bonus hinc notari
Incipe turbæ.

Subdit indulgens populos feroces
Principis flexus. Graue comitatis
Præbet exemplum Titus, ille mundi
Dictus ocellus;

Mente quâ ciues animare regum
Lenta maiestas queat. Ora Phœbi
Plena vitamus, radios remissos
Cernere læti.

Tuquē præclaram simulare sortem
Eligas paulum, patiens adiri
Supplicum libris, facilisque pronas
Accipe voces.

Quid Patris tendam potius beati
Laudibus? cui ius aperire cælum;
Quem colunt gentes triplici decorum
Tempora mitrâ.

Vnde reginæ moderaris vrbi
Proximus sanguis. Tamen aduocati
Nomen & virtus, licet inter astra,
Grata Salesi.

En meæ cultum, specimenquē Musæ
Iure sacrandum tibi, docte Princeps;

Mōx

Mox erit tempus, tua purpurati
Annectere facta.

AD GVILIELMVM COLLAEVVM:

*Cum iam octogenarius librum carminum
ederet.*

ODE XVIII.

M Endacem dabo turpiter,
Quisquis non validos iudicij senes,
Regressosque puertiae,
Insulso crepitat gutture pertinax.
Non rugae in facie, neque
Sero quae capiti deciderint niues,
Non aetas numerosior,
Nec fretum baculo robur, inutiles
Summis ponderibus facit
Rerum. Testis erit, qui tria secula
Emensus, liquidae potens
Suadae, & consilij aptus Achaeicis
Graecus fertur adhuc pater.
Testis, fatiloquo dictus Apollini
Cunctis ingeniosior,
Cunctos quod superat plus niue Socrates.
Pastori Dea non prius
Asraeo properat stemmata, neque noua
Afflat mente, caput pilo
Quam cano nituit, fronsque tumentibus
Sulcis prominuit. Dies
Nempè antiosa vitos perficit arduos.
Quarto testis ades loco,
Mi COLLAEE, tui gloria seculi,
Vates Pieridum facer.
Urget te senium, at feruidus ingens, &
Mentis flore vires. Liber,
O hic non humilis materiae liber,

104 IAC. ALB. GHIBBESII
Tantum prodit . Erit tui ,
(Si verè loquimur Castalius chorus)
Nullo dissimilis die ;
Neruosus magè, si longa teret dies .

MERCURIUS PRO CADUCEO
ELOQVENTIAE SYMBOLO .

aduersus lyram Apollinis .

ODE XIX.

S Emperne aut rigidam Palladis ægida ,
Aut thorace Deum cinctum adamantino ,
Ignèsiuè arma Iouis dulcibus accines
Euterpe, citharæ modis ?
Quin nostrum potiùs pectine virgulam
Cantas AEolio ? quam nequè Palladis ,
Nec dura Odrysijs spicula Marspitrìs ,
Nec currus rapidi Iouis
Exarmet trifidæ cuspidis impetu ;
Obstantes solitam fulminis obices ,
Hostilesquè globos rumpere fortiùs
Raucorum igne tonitruum .
Hæc lætis animas sedibus inuehit ,
Et vanas cohibet Ditis imagines ,
Exilemquè domum : grata nigræ Stygis ,
Cœli gratior incolis .
Mittit temporibus somnia languidis ,
Cùm Titan liquido mergitur æquore ;
Demit luminibus somnia pallidis ,
Lætum cùm reuehit diem .
Hæc pennâ nebulas præpete diuidit ,
Hæc Nerei scopulos, & mare turgidum
Substernit, latebris claudere gestiens
Infamis genus AEoli .
Incumbat pelago parcere nauibus
Indoctus Boreas, mœx geminus caput

Ex

Expromet roseo Castor ab æquore,
 Et sæui rabies Noti
 Mitescet Zephyris: tympana conuocent
 AEratas acies, armaquè matribus
 Exosa, & medio sæuiat agmine
 Mauortis rigidi furor;
 Hæc mixtas lituis disijciet tubas,
 Et Pallas subitò casside lauream
 Neglectâ capiti nectet, & aureis
 Pax orbem repetet rotis.
 Hæc regnorum apices, fataquè principum
 Impacata rotat, iuraquè ciuium
 Sancit, dein repetit non patiens humi
 Arcis fidereæ plagas.

AD HENRIETTAM MARIAM,
 BORBONIAM,
 ANGLIÆ REGINAM.

*Cùm ipsam ex Alba Aula egredientem magna homi-
 num multitudo insequeretur.*

ODE XX.

R Egina Magnæ magna Britanniaë,
 Galliquè, Scotiquè, & celeris pede
 Patrona Hiberni, sponsa regis,
 Nata, soror, genitrixquè regum:
 Quid esse dicam, tu quoties foràs
 Procedis albæ limine curiæ,
 Pugnace deducis tumultu
 Pressam humeris sine lege turbam?
 Misces lacernâ purpuream togam
 Impunè vili, cum duce turgido
 Misces colonum, virginesquè
 Cum senibus, puerisque nuptas.
 Festiua plenis recta oculis micant,
 Voluntquè tecum, ceu Iouis aureas

Dum

Dum lustrat ædes Noctiluca,
 Siderei comitantur ignes.
 Hoc esse dicam: redderis anxio
 Astræa mundo, vel potius tuis
 Pandora descendiis Britannis,
 Haud miseræ nocitura terræ.

TABVLA B. VIRGINIS NASCENTIS,

*iussu Summi Pontificis scitissimè depicta, & in templo
 Pacis collocata.*

O D E XXI.

Solis ut demus rutilantis ortum
 IESVLI cunis, dabimus MARIAE
 Præuium natæ iubar: ô salutis
 Phosphore nostræ!
 Non enim Lunam voco, magna Mater,
 Sed nequè Auroram, memor vsquè puræ:
 Tu vacas Virgo maculis, nites tu
 Infancia noctis.
 Miffa primæui domitrix draconis,
 Et relegatæ grauis arrha noxæ,
 Seû venis Iris Superûm, aut columba
 Pulchra Noëmi;
 Diua, sublimem tibi fige sedem
 Aede sacratâ sub honore Pacis:
 Fas erat longæ dominæ quietis
 Addere nomen.
 Artibus miris imitata viuam
 O ades vel sic precibus clientum!
 Arduum cælo nihil; ipsa vocem
 Redder imago.

EDVARDO ET ROBERTO
RVSSELIIS, FRATRIBVS.

*Super fama Romam, dùm ibi peregrè abessent, allata
de Patre illorum, antea Bedfordia Comite, ad am-
plissimum Ducis gradum euecto:*

O D E XXII.

A Ngli quid titulo Ducis
Pulcher signat honos? Gallia quod Paris
Magno nomine venditat;
Seu Grandis quod Iber; quicquid & Italus
Parmensi domino refert.
Nè credatur iners tessera gloria, aut
Macrae fumus imaginis.
Talem vix dare prouincia sufficit
Septem nobilis vrbibus.
Talem concilio sepositum Iouis
Maiorum aurea gentium
Exemit series. Nestora Doricus
Tali rex habuit loco;
Tros Anchisiaden; & Macedo Clitum;
Obscuro spatio impares.
Sic primo imperitant Cæsare Consules.
Patris gratulor hinc decus
Vobis, ô Iuuenes, magnanimo patre
Digni, tam procùl insequens,
Priuatiquè ferax. Vos quoquè crescitis,
Phœbi ceù soboles noui,
Ortu purpureo, & luce domesticâ;
Nec risum Phaëthontium
Debetis populo degeneres. Cauet
Priscæ nobilitas domus
Culpis egregiè, sed magis indoles
Faussto sub lare moribus
Innutrita bonis, Nec catulos lea

Mas.

Maffyllo timidus specu,
 Nec nido indecores fulminis arbiter
 Produxit malè filios.
 Tantùm exempla animant, semen & infitum!
 Quid Bedfordia reddita,
 Russelliquè sibi, commoneant (vetus
 Est fœdus) reducis manu
 Regis munificâ, qui stupet inscius;
 Idem per memores eat
 Fastos, & monumenta eruat vltimæ
 Non Thyles, sed & vrbium,
 Quas Titan gemino lustrat ab æquore,
 Condens, ac reuehens diem:
 Occurret folijs impiger omnibus
 Russellorum aliquis, virum
 Victor, nec spolijs inuidus Herculis!
 Huius vos patulæ arboris
 Gemmas, & nitido cortice sureulos
 Martis mœnia continent;
 Captantes aditus iam Capitolij,
 Quà quondam ibitis æmuli,
 Cingat laurea, seù frons oleæ comam.

ANTONIO CABRERIO AVENDANNO.

*Cùm vulgaret Librum inscriptum, Ver
 sacro-profanum.*

O D E XXIII.

R Vrsùs emergit soboles acutæ
 Mentis, ANTONI, genitore digna
 Te, nec inuoluet patre te pudendos
 Degener annos.
 Sic cano vates: canimusquè vates
 Vera constanter. Liber hic beati
 Ritè depingit Zephyri, & virentis
 Regna maritæ.

Aptar

Aptat illustres titulos utrique :
Veris & blandi facer ac profanus
Colligit quæstum, varioquè donat
 Nomine fructus .

Pone me cælo sub inhospitali
Duplicis Zonæ domibus negatæ ,
Reddar hoc scripto tepidus, calor, seu
 Bruma perurat .

AD CATHARINAM,
MAGNAE BRITANNIAE REGINAM .

*Conualuisse propè desperatam , ab Vrbe missis soterijs ,
immortaliter gaudet . Dein afflatu quodam, etiam ut
medicus, vaticinatur .*

O D E XXIV.

 I O beatè est ! omnibus annuit
 Votis Olympus : redderis, impium
 Egressa Parcarum tribunal ,
 Sollicito CATHARINA regno .
O vitam, & annos parce pater, pater ,
Non sic vocatæ rumpere coniugis
 In flore primo : deme nostris
 Ah potius placitura (dixit)
Momenta fufis . Quis sterilem Tagi
Arere gemmam iacter ? amabili
 Possit Britannum prole regem ,
 Et cupidos hilarare ciues .
Euenit : atros pulchrior eniter
Vt post labores Cynthia, non secus ,
 Regina, liquisti cubile ,
 Horrifico decorata morbo .
At non molestis plena timoribus
Est forma tanti . Grande periculum
 Fecisse deuoti memento
 Tunc animi : tua quippè virtus ,

Gli-

110 . IAC. ALB. GHIBBESII

Gliscente fato, cum lacrymis preces
 Cunctos adegit fundere . Sic amor
 Perrupit astra ; incontinenti
 Cœlituum panacœa cessit.
 Salve micanti lætitijs, Hera ,
 Reducta terræ . Disfluet hinc dies
 Natalis, & festum quotannis
 Ducet agens minio Nouember .
 Quem dum colemus cantibus, & iocis ,
 Mensisque opimis, atque agili pede ,
 Suos coronatus videbit
 Luce sacrâ Genius nitores ,
 Tantæ minister Principis additus .
 Tum liba circum, tum pateræ meri
 Ibunt in orbem, tum recentis
 Serta rosæ sine fraude nardi .
 Audis salutis pignora : percipe
 Nunc dona charis debita nixibus
 Infantis alti : nam propinquum
 Credo equidem voltare tempus ;
 Atque ista (si quid nos Epidaurias
 Phœbus per artes edocuit quoque)
 Tormenta membrorum peracta
 Frugiferi dare signa ventris .
 Nec parua magno nausea partui
 Hæret sodalis : par dedit Herculem
 Dolor parentis ; nec minore
 Constiterit pretio Britanni
 Spes vna sceptri . Caroliden malæ
 Horrete gentes nunc etiam abditum :
 Fatale nomen Camber hæres ;
 Ille Leo, Niger ille, Camber .
 Hunc at vigoris tessera certior
 Commendat . En queis assimilis, tibi
 Patrique nascetur propago ;
 Haud alios velit Hector ortus .
 Sanguis vetustus, factaque fortia
 Heroa formant . Copia suppetit

Vtri-

LYRICORVM LIB. III. III

Vtrique vestrum . Proh, minaces
Atria quot tenuere vultus !
Tu falle pronos nescia ponderis
Matrona menses, quæ tibi creditam
Debes columnam : semper inсто
Romuleis peregrinus aris .

IN CATHARINAM CANDIDAM
VVESTONAM, BRITANNAM;

Romæ ad S. Mariæ ad Niues funere elatam .

O D E XXV.

Albion primam dedit alma lucem ,
CANDIDAE nomen pudor atque forma ,
Par, Niues, toti niuæ locauit
Roma sepulchrum .
Orta sic virtus habet ipsa nomen
Candidæ, talem quoque sperat vnam ,
Si perit, Romæ : minor hoc, inibit
Seriùs astra .

IN IMAGINEM ALEXANDRI, P. M.

*à philologis Mancinae Academia, Humoristis ,
publicè dedicatam .*

O D E XXVI.

Dixerat parui Macedo ille vultum
Ferre Lyssippi, vel Apellis arte ;
Corde Pelidæ cupidus probati ,
Quod dat Homerus .
Cedit internæ vaga fama menti ,
Labilis cedit color . Eccè nostri
Laus ALEXANDRI per vtrumque stabit
Clara laborem .

Dexera

Dextra Phœbæis opifex alumnis
 Consecrat fictum : decora alta vates
 Versibus tollunt animi, Sibyllâ
 Teste, canendis

AD BONAVENTVRAM BARONIVM,
 FRANCISCANVM HIBERNVM.

Laudat Hiberniam à fide in Deum & Regem, & ut clarorum virorum matrem : inde ipsum ob Prolusiones Physicas prædicatione effert non vulgari.

O D E XXVII.

PRisco moueri fœdere Cœlitum
 Nullis, Ierne, conditionibus
 Adducta, nec regem perosi
 Brutigenûm patiens tumultûs,
 Pulsamquè toto reddere sanguine
 Iurata fedi; qualia pectora
 Vtrique producis Mineruæ
 Egregio generosa fœtu!
 Pugnacis artes non mihi militis
 Fas est inermi dicere barbato;
 Ad pacis, alternumquè amoris
 Finxit opus pater ipse vatum.
 Hac te, BARONI, parte sub æthera
 Tollam merentem; Vergiuij maris
 Sirena tollam, nulla cantet
 Vt potior Siculas per vndas.
 Vidi ore victo, vidi ego libero
 Torrentis instar currere, nunc Dei
 Tractum per immortale numen,
 Nunc rapidi per acuta mundi.
 Iamquè inuidendum te fore posteris
 Ediço sidus; quippè facis iocum
 Veros labores. Quis parabit
 Seria; vel graue quid putandum,

Si lu-

Si ludere hoc est? O vtinam vigil
 AEquem iacentis somnia! vel meæ
 Sint otium curæ sagaces
 Tale, pigram superabo Lethen .

IOSEPHO KENTIO,
*amico suo, regiarum partium spectatissimo vi-
 ro, Romæ hospiti .*

*Ob victoriam Anglorum naualem contra Batauos à
 Iacobo Duce Eboracense, Regis Fratrem unico, glorio-
 se reportatam, hortatur, præter plausum, secum
 etiã indulgere Genio . Sub Pentecosten M. DC. LXV.*

O D E XXVIII.

KENTI, note animi pij
 In regem & patriam tempore nubilo,
 Se dùm quæreret Albion:
 Quem non blanditiæ, non furia truces,
 Non totus Cromoëllius,
 Dimouere fide legibus additâ:
 En læti noua pectoris
 Argumenta tibi. Sors nequẽ enim mala
 Durat perpetuò: inuicem
 Iucundis Aquilo cedit Etesijs.
 Nunc plausum ingemina; citi
 Nunc tellure micent ad numerum pedes;
 Nunc vino atquẽ epulis vaca;
 Formentur Salij murmure turbines.
 Victori placitum Duci,
 Insanire. Quies arguit inuidos.
 Felix deuocat horreo
 Primæ Fama notæ sepositam hactenus
 Testam; perdomitos mari
 Paucis cum trabibus vix Batauos fugã
 Declinãsse ferociam
 Nostrorum: effugium si rãmen eripit

H

Opda-

Opdamus prior agmine
 Stipabat forulis grandia vincula
 Anglorum pedibus minax .
 Ulturusquè patris funera Trompius
 Quid non dixerat, impotens
 Sperare inferias sanguine ab extero ,
 Iactator ? Sed inanibus
 Verborum iaculis opposuit fera
 Frater sulphura Regius ,
 Flammarumquè faces, ac celeres globos :
 Quo ceù fulminis alite
 Exarsère rates, ictus inhorruit
 Præfectus miserâ nece ,
 Prædæquè, & validæ compedis immemor .
 Hæc strati species viri
 Deterret socios, territat asperum
 Contactu modò Trompium ;
 Nè magnis catulus fræna leonibus
 Intentet . Sua iam salus
 Est illi potior vindice mortui ,
 Præ se quem tulerat, patris .
 Ergò reliquias sanguineo trahens
 Bis centum sale nauum ,
 Noto, quâ potuit, littore condidit :
 At non versa sefellerant
 Anglum terga ducem deficientium :
 Is portum tenet vndiquè
 Cinctum victor ouans, vt nequè progredi
 Quenquam, nec velit addere .
 Totum curta dies perficiet decus .
 Salve, clare Britannice;
 Sic, sic te metuant nominis Angliçi
 Hostes, aut patriæ æmuli .
 KENTI, mecum hodiè (dulce caput) fatur
 Viues & dapis & cadi :
 Oprato decet hoc reddere nuntio .
 Imponam mihi Lauream
 Festâ luce, tulit dextera quam tua

Pictis Parthenopes iugis ,
 Nutritam vegeto sanguine Virgilî :
 Cantu pocula diuidam .
 Myrti fronde comas te magis addebet
 Ornare, integrâ amyftide
 Haufurum sobolis nomina regia .
 Chij da latices, puer ,
 Aut quod Lesbos habet, fiuè Neapolis .
 Albanum vero debile ;
 Romanis potiùs linquito fœminis .

EDVARDO NOELLIO,
 CAMDENI DYNASTAE HAEREDI FILIO .

*Cupienti legere aliqua carmina Ghibbesij, submittit ille
 verecundè, ut perito artificio, eius ipsius laudes, quò
 gratius accidat munus .*

O D E XXIX.

N Ostri carmina pectinis
 Exaudire cupis, Castalidum, NOEL ,
 Phœbææquè potens lyræ,
 Nec tu parua togæ fama Britannicæ .
 Neptuno quis aquam ; nouas
 Floræ veris opes ; cæcuba Libero
 Ostendet ? decus attamèn
 Affecto imperij, atquè arripio libens ,
 Thufci Flaccus vti ducis .
 Dignum spe sed enim quid modò profluet
 Tantâ ? nobile sapiùs
 Argumentum humiles oçculuit fonos ,
 Aut euexit ad æthera .
 Hac nos arte tui munera pectoris
 Tollemus, rapidi fimùl ,
 Quantumuis tenues . Hac ope proderit
 Te monstrare tibi . Genus,
 Nec cæra veteres, neç domus ardua ,

116 IAC. ALB. GHIBBESII

Fortunæ bona lubricæ,
Chartis inuenient partem aliquam meis.
Magnæ specto animæ chorum,
Quem virtus & honos ducere gestiunt.
Prò mores niuis æmuli!
Syncerum eloquium, rara modestia,
Ætatis iubar aureæ!
Prò Thesæa fides, larga benignitas
Oris, non sine dexterâ!
Ipsis lucidior gratia Gratijs!
Mentis dum famulas sequor
Virtutes, dominum canto NOELLIVM,

IVLIO ROSPIGLIOSIO,
S. R. E. CARDINALI,
NUNC PONTIFICI OPT. MAX.

*Theses de Deo & Angelis per S. Theologiae triumphum
exhibita consecrantur.*

ODE XXX.

CVi primâ cœli fercula, cui nouam
Pompæ sequacis pronus imaginem
Dicabo sacrorum minister?
Nempè tibi, venerande IVLI.
Numen supremum, factaquè numinis
Prolusa mundo, fidereum genus
Cernes volucres, præteractâ
Multiplici decorum quadrigâ.
Ducam ipse currus tramite dextero
Auriga follers. Si mercor, faue;
Vel non merenti: iusta certè
Laus erit appetijste plausum.

AD

AD GVILIELMVM GHIBBESIVM,

*Sereniff. Magnæ Britannia Regina medicum intimum
parentem optimum.*

O D E X X X I.

Q Vem iuuat Phœbi meditari auitas
Pallidos succis releuantis artes ;
Scire quem vires iuuat, & comantum
Nomina florum :

Non huic cæci sine honore Soles,
Ibit aut tecto Dea mœsta vultu,
Quæ regit currus, inhihetquæ noctis
Luna iugales.

Vndè congestis, agè, dic aceruis,
Virgili, sacræ reprehensor artis,
Nomen, & gazam cumulasti, & almæ
Fragmina glebæ?

Nempè te clarum medicina finxit,
Callidum mannis pepulisse morbos ;
Diuitem gazis medicina, & auro
Reddidit vna.

Pulcher hac olim sibi Phœbus arte in-
nixus æternas peperisse sedes
Fertur, aq̄ inter Superos recumbens
Ducere nectar.

Hac &, Asclepi, tua fama terris
Diditur latè, patrioque gaudet
Conspici cœlo. Tenet hac beatos
Proximus ignes,

Arduum patris studium æmulatus
Proximè ingenti studio Machæon.
Nec minus sublime nitet coruscis
Sidus in astris

Cosus, humanum celebratus æquè
Cynthio inuito genus inter, herbarum =

Vnicè doctus, catus & malignos
 Vincere morbos .
 Ast tibi Coi, Clariquè dignè
 Laus Dei cedit, GVLIELME ; nomen ,
 Fasquè cœlestis tribuit cæthedræ
 Iure Machæon .
 Namquè tu (quandò solet esse rebus
 Addere inuentis leue) tu potenti
 Maior & Phœbo, puerisquè Phœbi
 Sidera calcas .
 Ipse per Cyrrhæ iuga, limpidasquè
 Phocidos ripas spatiat inter
 Dicitur doctas medius forores
 Nupèr Apollo ;
 Cernite, & fatus, mea cui renidet
 Laurus imponi, comites ; recentem
 Siuè spectetis medicum, aut poëtam ,
 Cernite Phœbum .
 Non ego illimes Heliconis vnda ,
 Culmina aut Pindi, bifidumquè collem ,
 Ampliùs grato cohibebo nutu
 Rector & auctor .
 Vosquè Pimpleæ, mea cura, Musæ
 Non mihi posthac fidibus canetis :
 Hoc nouo deferte decus parenti
 Sed magis illi .
 Dixerat : lætæ, mora nulla, Musæ
 Barbitò laudes, meritamquè famam
 Conçinunt, gratâ geminantquè voçum
 Gaudia rixâ .
 Perge iô sacræ moderator vnda ,
 Perge, quâ cerni dubiâ renidet
 Orbitâ limes, referatquè picti
 Limina mundi .
 Scinde pennatâ Zephyros quadrigâ ;
 Hæc per obstantes dabit ire nubes ,
 Hæc rotis pandet populi negatos
 Ars tibi calles .

Pieris myrti tibi textit umbram,
 Quam nec Eléi Iouis, aut Idumes
 Fronde permutes, dabiavè sæui

Fronde Gradiui :

Seu iuvat blandæ penetræle Suadæ
 Visere, umbrosos Sophiæquè lucos,
 Siuè te pulchrâ medicina vinctum

Compede tardat .

Quale nec fulvæ Tagus Amphitritæ,
 Quale vectigal nequè fabulosi
 Vrna Pactoli, nequè pendet aureis

Herinus arenis .

IN ANTIDOTVM SVAM,
 PANACEAM GHIBBESIANAM .

salutarem aduersus maximè pestem.

*Quo nomine Summus Pontifex in contagione Urbis
 ampullam habere voluit .*

O D E XXXII .

O Thesaurè patris, mihi
 Quondàm iure sacri fise silentij,
 Deuoto trucibus minis,
 Si pandam artis opus, non piger auxili;
 Quòd crebrescere principum
 Accessu, atquè opibus, das quoquè filio;
 Quòd clauâ putor Herculis
 Morborum segetes, ac mala germina
 Deturbare valentiùs;
 Dicunt mequè homines nunç digitum Dei:
 Totum hoc, ambrosiæ comes,
 Donum, SVCCÈ, tuum est . O ego reddere
 Si possim meritis vices,
 Fies nobilium tu quoquè nectarum;
 Me tollente loquacibus
 Neruis blanditiæ prodigium tuæ .

H 4

I, fors

I, fors maxima quò vocat ;
 I vim Pontifici promere Maximo
 Contra, myrrhee Onyx, luem
 Paruâ mole celer . Non tibi Pontica
 Pyxis, nil prohibens capi
 Optantem dominum funera ; non tibi
 Persarum ducis arcula ,
 Victori spolijs gratior omnibus ,
 Clauso prodita balsamo ,
 Certet ; sancta Patris si manus applicat .

AD ALPHONSVM IV.
 ATESTINVM,
 MUTINAE ET REGII DVCEM .

*In funere FRANCISCI patris . Gratulatur inde
 successionem ipsi .*

ODE XXXIII.

PVllâ virentem frontis adorem
 Commutet umbrâ præfica Pieris ,
 Cantumquè lugubri querelâ, &
 Triste chely resonante buxum .
 Non illa, sano qualis Apolline
 Spectanda venit nupèr ; amicius
 Gratata solennes triumphos
 Egregio patris Almerico !
 Audita cui non capta Valentia
 Moles ? quis altis surdior ictibus
 Non quassa Mortarî recepit
 Mœnia, terribilemquè cladem ?
 Tum quantus vrbes, quantus erat pavor
 Agros per omnes ? iam caput Insubrum
 Secto petebat calle victor ,
 Eridano subeunte pontem .
 Tamquè & coronam vi Modoëtia
 Penè occupârat, feruidus aggredi :

Sed

Sed Parca bellorum furorì
 Obstitit, imminuitquè regem,
 Sortes adæquans: accipitrem velut
 Prædæ inuolantem corripuit prior
 Ales Tonantis. Sic iocoso
 Res hominum libet ire cælo.
 Atquì perustis febribus, Hercules
 Ritu, subegit cedere nescium:
 Hoc æqua solùm, quòd supremos
 Ferre virum docuit labores
 Heròis inuicti, assimilem Deo
 Tot antè factis; indigetem quoquè
 Olim futurum, cùm Latinos
 Prisca duces monumenta pandent.
 Apollo vixit vatibus, & choris;
 Vixit Gradius bellipotentibus
 Nexis sacramento maniplis,
 Dulce decus, columenquè certum.
 Pròh causa luctûs! nec reparabilis
 Iactura in æuum! flebile naniæ
 Sublatus argumentum acerbæ!
 Heu miseræ fera imago pompæ!
 Sed cur oborto lumina depluunt
 Humore rursùs? Sit satis hactenùs
 Soluisse vectigal sepulcro;
 Sit, cineres maduisse sacros.
 Lætis recentem sedibus aduenam
 Linquamus illiç plaudere. Nunc iuuat
 Virtutis hæredem paternæ,
 Et solij, rutiliquè sceptri,
 ALPHONSE, grato dicere carmine
 Te subsecutum: ciuibus additum
 Solamen agris, quòd dolorem
 Blanda leuet memorem voluptas,
 Quæ deindè fessis gaudia gentibus
 Enarro vates? Principis indolem
 Odisse pugnas, Romuliquè
 Pace Numam cohibere bella.

AD CAROLVM II.
MAGNAE BRITANNIAE REGEM, PAEAN.

Decantatur ingens Anglorum de classe Bataua iterum, recurrente mense Iunio, ac penè die, parva victoria sub ROBERTO Principe Palatino, & Georgio MONKO, Albemartiae Duce, Praefectis. Risus de foederatis hostibus, qui eandem, fortes in tabula, promulgarunt esse suam. Contigit post quatruidui pugnam, 18. Kalend. Quinsil. Anno Domini, M. DC. LXVI.

O D E XXXIV.

MArti litatum est sanguinis annuo
Censu Bataui, mos vti amat vetus,
De mense Iunî: victor aram
Igne & aquâ coluit Britannus.
Ostenda rubro decolor æquore
Sæuum duellum miscuit; ac simûl
Ostendit orbi, quid valeret
Angligenûm peregrina virtus
Sub sole nudo. Dic, Erato, decus;
Fer, Diua, famam: cui pater vnicè
Concessit herôum trophæa
Non humili celebrare cantu!
Vt efficacis consilio Ducis,
Eius, reuinxit qui caput Angliæ
Notâ coronâ, per Charybdin
Mattiacæ rediêre puppes.
Atquî paratu marmora Persico
Ruiterus inflat, dimidiâ tamen
Vis parte rostratas phalanges
Rumpit agens grauis Albemarli, &
Fumo, & tumultu, & sulphuris vnguine,
Raucisque tormenti oribus ænei
Terret necatquè. Hic intonatâ
Cernere erat Salamina strage.

Pars iussa cœlum visere cum trabe :
 Pars ima Ditis Tartara : nil pigri
 Morata cymbam portitoris ,
 Fert pelago sua classis umbras ;
 Quàm penè pingui fors ea Trompium
 Nostris minantem distulerat face !
 At non Euertoeno pepercit
 Icarij fera imago casus :
 Ecquis Britannos intereâ timor ,
 Equod periculum summouet ordine ,
 Graduquè belli ? sic Maléa
 Spuma ferit violenta caudem :
 Stat illa contrâ durior : hosticos
 Troiana pubes vt tulit impetus .
 Quondâm & repercusso fragore
 Dextra metit iaculata damnum .
 Opinionis magna potentia ,
 Vel posse vinci . Qui facit, edomat .
 Hæc lege Belgarum iuuenços
 Terrificant domini Leones
 Pugnacis Angli, nè similem audeant
 Offerre vultum . Iam ter & ampliùs
 Mæorte propulsi cruento
 Portubus innocuis latebant .
 Et nunc laterent sub cute fospite
 Piscosa circum littora remiges ,
 Ni Gallus excantâffet antris
 Fulminei sonitu Ruperti ,
 Enauigantis tramite deuio .
 Sed pacta lucet tessera : nam cauum
 Vt mus reliquit, flexuosi
 More cati, volat eccè Princeps ,
 Stringitquè prædam, non placidi efferus
 Monki sodalis . Tum fuga deniquè
 Post lucis incrementa quartæ
 Consuluit benefida Caucis :
 Quòd si coörtæ per nebulæ globum
 Desæuienti non rapiat Deus

Tectos

Tectos leoni, pròh, furori
 Quanta darent simulacra mortis !
 Ergò infecutus, quà licuit, domi
 Conclufit heros, ac tenet arbiter
 Ponti: Mofanos, aut Vahaleis
 Nare iubens fine clade fluctus .
 At ô meracæ vox temulentiaë !
 Sutela fraudum ! Vicimus : hoc libris ,
 Hoc fcire picturis laborant
 Sepofitas vbicunquè gentes .
 Ridete, ciues, cum ftomacho infolens
 Crudi leuamen vulneris . Albion
 Fumum, nec obtendit colorem
 Egregijs animofa factis .
 Binum fatemur nos equitum decus ,
 Barclaium, & illum fulguris alitem
 Iaçere Minæum peremptos :
 Tequè nimis cupidum premendi
 Afcohe, cæcis implicitam vadis
 Hæfiffe prædam : corpora fortium
 Defiderari de cohorte
 Mille virûm : caua ligna quinque .
 Bis quina conftat millia funerum
 Vtrinquè fterni : quis tumulat nouem ?
 Fliffinga mifit centum, & vltra ;
 Quò mediæ recidère naues ?
 Poft hoc, superbos mittere nuntios
 Impreffo amicis, Vicimus, annulo
 Pergunt procaces : texere aftus
 Sic patrij docuère Delphi .
 Lactentur iftâ laudis imagine :
 Tu cinge veris, CAROLE, laureis
 Rex magne, frontem : fapè tales
 Hoftibus appropera triumphos .

AD MNEMOSYNEN,
MVSARVM MATREM.

Romane cuiusdam domus excidium contemplatus, quam viderat stantem cum hac epigraphe; Stet domus hæc, donec fluctus formica marinos Ebibat, & totum testudo perambulet orbem: ingenij monumenta, tanquam sola extra aleam temporis, predicat usque duratura.

O D E XXXV.

Exigiquè ego opus (sic placitum lyrae
 Doctori Aonio) dum sequor æthere
 Diræum vacuo cantibus alitem,
 Vocalisquè cycnum non piger Aufidi;
 Exegi cineri præsidium meo,
 Aeterni columen nominis, altior
 Fato. Nigra citet, cunque volet, dies;
 Vellat Parca comam vertice, frigidos
 Obnubatquè oculos: haud tamen igneæ
 Lumen mentis erit sub tumulo comes,
 Vel fœtus cerebri, vel decus ingenij.
 Nil feralis in hæc iuris habet Dea:
 Compingi impatiens spiritus emicat.
 Viuam pars melior, nec metuam ampliùs
 Morralis Libitinam, aut miser AEaci
 Sperabo arbitrium, tunc Superùm integrè
 Securus. Pylij dos ea pectoris.
 O AEgypte, ducum mater inanium!
 Illis cura fuit marmora tollere
 Cœmento stabili nubibus hospita,
 Famæ signa fixæ: quæ simul impulit
 Aetatis caries, alayè fulminis,
 Expectata simul gloria concidit.
 Romanum quid ego iam Capitolium,
 Augustiquè lares eloquat aureos?

Umbrae vix tenuis reliquiae manent
 E tot iugeribus suppositis prius .
 Auctorumque foret vix memorabile
 Nomen, perpetuis noctibus obsitum ,
 Ni vatum eriperet sacra potentia .
 En haec parua domus sine perennius
 Aeuum fronte tulit ; sed breue debuit
 Tantae ludibrium strata proteruiae .
 Stant sola ingenij secula machinis .
 Tu donare potes, MNEMOSYNE, incios
 Momenti atque loci libera terminos ,
 Musarum genitrix, nec pauidos nigrae
 Lethes . Nostra tuo munere Memphios
 Vincet charta notas, si bonus & frequens
 Libaui roseo cultor Apollini .
 Tradam continuis carmina posteris ,
 Discant continui nomina posteris :
 Et laudem vsque recens fama canet meam ,
 Et laudi interero semper ouans mea .
 Hinc septemgeminis audiat e iugis
 Orbi diuiduo : me leget vltima
 Thule : me Thamesis ciue superbior
 Monstrabit Latio cornua Tybridi, &
 Fiet nobilium sic magè fluminum .
 Iam nunc AEolij pectinis arbitrum
 Praetuni meritâ, Pieri, laureâ .



IAC. ALB. GHIBBESII
 POET. LAUR. CAES.
 LYRICORVM
 LIBER IV.

AD COLLEGAS DOCTORES
 IN ALMO RO: SAPIENTIAE ATHENAEO.

ODE I.

*Vt proprijs libris ornando Bibliothecam, optimi Pontifi-
 cis occupent munificentiam.*

*Cum Alexander P. M. nouam Sapiientiae extructam a
 se bibliothecam, beneficij gratiaequè causa, humanissi-
 me inuiseret.*



Vsarum audiit hactenus
 Iunctis ductor amans ædibus Hercules .
 Hoc commercia mutua ,
 Alternæquè operæ grata necessitas

Suadebat populo decus .

Defensoris eget Pegasidum quies

Nimirum : & foret inclyta

Quid virtus, citharæ si reuert fides

Testari Superis parem ?

Sed quò me rapuit tramite deuiò

Alcides, mera fabula ?

Standum est historijs ; quas Capitolij

Hinc fasti referent, tuo

Accessu celebres ad Sapiientiam ,

Clas

Clarature scientias

Doctorum, alme Pater . Te columnen domus
Spectamus, veluti tener

Solem furculus, aut nauita Castorem,
Quantquam nil opis indigus

Es nostræ; tibi tu fama palæstriçæ,
Et laurus simul, & tuba :

Nec gressum poteris figere, Palladi
Quin plaudas patriæ: tamen

Acclamare iuuat nos quoquè vineulis
Obstrictos opulentia .

Siccos forsàn erit currere riuulos
In vastum Oceani sinum :

Sed clamare iuuat . Mercurialium
O custos bone partium ,

(Fortis cui Macedo nomina præstitit ,
Auxisse inuidus alterum

In maius) meritis quas dabimus vices ,
Vel quæ præmia soluimus ?

Tandem inuenta via est ; grata sodalibus ,
Mundi gratior arbitro .

Vidistis, pluteis vt modò inanibus ,
COLLEGAE, properus pedem

Fulgenti ex adyto traxit Apollinis :
Quamuis millia destinet

Ipsè electa loco corpora codicum ?
Quid stamus resides ? agè ,

Præuertamus opus : quisque volumine
Inscripto repleat cauum ,

Illiusquè crepent serinia laudibus .

RAYNALDO ESTENSI , PRINCIPI,
CARDINALI S. R. E. AMPLISSIMO .

*Ex aspectu LILIORVM & AQVILARVM Esten-
sum, candor & magnanimitas, propria
dus Raynaldi virtutes, cele-
brantur .*

ODE

ODE II.

EN Ateſtinæ generoſa parmæ
Signa, pratorum volucrumquè reges :
Hæc repercuffi tua, clare Princeps,
Cordis imago eſt.

Arduos vincis, RAYNALDE, niſus
Alitis digni Ioue : vincis almæ
Lacteum Floræ decus, eminentis
Fœdere laudis.

Permanent celſum genus atquè candor
Sede vix vnâ : cohibes fodales
Integer labis ; domus arma quamuis
Regia præſtet.

Indolem vt ſcires vtriuſque formæ,
Cæſaris pugnax Aquilas adîſti :
Iamquè Gallorum remeas videndo
Lilia ſolers.

Ianus hinc pacis mediuſquè belli
Tu potes ſcribi. Fuit ille nunquàm
Ithacus tanti ; minus ille duxit
Vellus Iâſon.

C A R O L O II.
ANGLORVM REGI, VERE BRITANNICO,
TOTIVS OCEANI
Cluſio & Patulcio ;

Belgarum fœderatorum naumackia tertium victori :
Sub finem Quintil. M. DC. LXVI.

NEREI GRATVLATIO.

ODE III.

V Oueram tales cumulare palmas
Hoſtibus poſſes, vt ière nuper

I

Cre-

Creduli vano super astra fastu,

CAROLE victor.

Audijt votum Deus : insolentem
Mense vix acto fera pugna Belgam
Rursus afflixit, cupiente mergi

Cornua Nereo,

Quæ supra fluctus tumuere vastos.

SIC tibi mecum domino, Britanne,

AEquoris, vilem patiemur insul-
tare Chæycum

Classe lunatâ, modò (dixit) vndas

Qui scaphâ nôrat secuisse dulces

Piscium prædo ; catus indè salsam

Trudere mercem ?

Qualis èn frater (scelus ô, pudorque)

Affidet regi, petulans & vnctus !

Sed bonâ scito veniâ, mereris

Turpia labis.

Albion primam dedit ipsa culpam,

Albion culpam luat & secundam ;

Nuda plebs quandò manibus Britannis

Fertur in altum.

Vt leo pastus lacerat magistrum,

Saxa vel torrens rotat in scatebram,

Haud secus causam mala fax quietis

Polluit Anglum.

Qui ducem excussit proprium rebellis,

Scilicèt speres eques ire fidum ?

Tu caue pravi documenta mortis

Carole, regno.

Augurer falsò precor ; at nefandæ

Cædis auctores timeo Batauos :

Quicquid id certè fuit, omne morbi

Do caput Hagæ.

Haga periuri genitrix Senatus,

Hydra centenæ maculosa sectæ

Mansit Alciden : meritâ tulisti

Laude trophaum

Dignus insigni Salomon Dauide .

Turpis extremâ sedeat ruinâ
Gente cum totâ locus, atquè nomen
Euolet orbe .

Dixerat : magnum simul in tridentem
Cæcula adnifus furiauit ictu ;
Quo repercussæ periêre naues ,
Quo ruit hostis .

Ipse dux turbâ trepidante primus ,
Ille præclarus Themesis subactor ,
Saxoni viso Rûiterus oram
Liquit apertam .

Nec fatis : ponet fuga nulla tutum ;
Improbi pœnas volet Anglus ausi :
Adijcit tanto Steropæa iurè in-
cendia fumo :

Hac Euertzenus face, fratris vltor ,
Hacquè BancKartus micuit sodalis .
Fama, dic porrò : cohibe remotæ
Plectra Camcænæ .

AD CLAVDIVM MASSARIVM,

*noua laurea medicum, at poëtam emerita ; cum in prio-
re facultate Doctor Antenoreus renunciaretur .*

ODE IV.

O Tu Pieriæ chelys
Arguto fidicen pollice, quem Tagus
Pronâ non semel audiit
Vrnâ ; quem Rhodanus diffluere immemor
Tum primò stupuit piger .
Cui Scaldis totiès, Mofaquè leniter
Allambens niueos pedes ,
Demissos teneri è margine graminis ,
Assurrexit hians, fidem
Tangenti querulo pectine Dauniam ;

Cantu non sine Tēio .

Iam vinctum cohibes Eridanum tui
Gratâ compede barbiti ;

Nec fuerum domino cogitat Adriæ
Vectigal dare fluctuum .

Et decepta suæ Brenta duplex viæ
Pulchris ô quoties stetit

Incantata modis ! Thraca potentiùs
Blando Strymona carmine

Nunquàm detinuit Bistonius pater .
Quid mirum, tibi Delius

Si Phœbus parili tempora stemmate
Incinxit, citharæ arbiter ?

Nunc donat medicæ ferta scientiæ
Idem artis medicæ parens

Phœbus . Tota caue gens Epidauria :
Fiat MASSARIUS semel

Vati par medicus, viuite pauperes .

IN CREATIONE
INNOCENTII X. PONTIFICIS MAXIMI .

INNOCENTIUS DECIMVS PAPA:
totidem litteris redditur
EN NOE PACIS: IS MVNDI CAPVT.

O D E V .

Q Valem ministram pacis idoneam
(Cui fœdus iræ Cœlicolûni fator
Tractare permisit, nocenti
Exitium meditatus orbi)

Olim virentis germina Palladis
Raro ferentem cum populo Noë
Prospexit è fluctu columbam ,
Sole chaos retegente mundi :

Qualemue longos post maris obices ,
Ac mille vitæ tædia, Trôius

Matris volucrem vidit heros,
 Et comitum vaga turba vidit:
 Videre mixtæ, Sancte Pater, tuam
 Gentes palumbem, termite nobilis
 Insignem oliuæ, dum rebellem
 Mars agitat violentus orbem.
 Non sola faustum Roma Quiritibus
 Spondit æuum; tunc etiam Ausones,
 Et quicquid est vsquam Latini
 Sanguinis, explicuere frontem.
 Ultraquæ nubes Alpium, & hispidæ
 Ultra Pyrenes culmina, candidus
 Tranauit ales, ore tendens
 Paçiferæ monumenta frondis.
 Tunc & remotis gaudiâ gentibus
 Bætisque, & Albis, quæquæ Ararim bibunt,
 Quieris affulsere cerræ, ac
 Læta nouæ simulacra terræ.
 Quin Medus, & Thrax, & niger Aethiops,
 Lactensquæ mundus, cætera barbari,
 Ostenta suspexere Diuum,
 Polliciti meliora cælo.
 Tu, qui sacratam tergemina premis
 Frontem tiarâ, cui Stygis arbiter,
 Tellusquæ paret cum profundo, &
 Obsequitur polus, INNOCENTI,
 Hæc vota fanci. Te melior Deus,
 Nostro luentum supplicio satur,
 E Vaticanâ puppe iussit
 Mittere per populos Columbam.
 Tibi rubentis fulmina dexteræ,
 Crudumquæ verber, seu quid amari
 Offensus intentarat orbi,
 Supposuit: tibi regna Ditis
 Inuisa, & arces tradidit ætheris
 Seruare binis clauibus; at solum,
 Utquæ mavis, nunc seueno,
 Nunç facili cohibere sceptro;

Omnis potestas te penes omnium .
 Componere lites, ô Caput, ô Noë,
 Mundiquè, pacifiquè : & vagantem
 Flecte gregem sub ouile Romæ .
 Vates mearum tunc ego præsciis
 Sententiarum dicar ; Apollini
 Non charus æquè, si recludo
 Ambiguus potiora Delphis .

AD ROBERTVM PAPAFAVAM.

Cùm philosophiæ ac theologiæ magisterio iam dudum assumpto Iuris nunc Vtriusq; lauream insuper adderet.

ODE VI.

Antiquo, PAPAFAVA, edite sanguine
 Rectorum Euganeæ gentis ; ab arduo
 Ingens quandò genus per memores terrò
 Fastos Carrario trahis ,
 Qui latè Patauî iugera messuit
 Princeps : àn calido pulpita iurgio
 Tundes semper ouans, atquè caput nouis
 Cinges semper honoribus ?
 Iam pridè dubij scripta Panætij
 Clarantem è rigido puluere vidimus ,
 Mirati eloquio sensa retexere
 Argoi gemino fenis .
 Dudùm & sidereas coeliturum domos
 Mentis remigio scandis ; & abditi
 Deuelas penetrare ac solium Dei ,
 Mystes non sine numine .
 At nunc sollicitis præsidium reis
 Cognato Superùm pectore comparas :
 Seu Diuos violent, sinè homines, locum
 Clementi Themidi dabis .
 Namquè Antenoreæ te modò porticûs
 Vox cuncta, insolito feruida gaudio ,

Emittit

Emisit liquidæ Virginis arbitrum ,
 Telluris medium & poli .
 Emisit folijs tempora Delijs
 Umbratum : meliùs tempora Palladis
 Posthàc impedies frondibus, AEaci
 Ritu, aut iuridici Phrygis
 Exurgat tacitis nunc Plato manibus ,
 Atquè aurata rei secula publicæ ,
 Quæ finxit, videat . Pulcher erit status ,
 Cùm docti imperitant duces .

IOANNI BOLLESIO,
 NOBILI ANGLO.

Mirificam suauitatem eiusdem & argutiam in tangenda Britannica chely, quam vulgò dicunt Violam maiorem, stupori Romæ fuisse .

O D E VII.

Res suas dicam sibi habere Phcebo ,
 Te modis aures retinente nostras :
 Quale solamen Samius negârir
 Doctor Olympo .
 Quantus Alcides animos triumphas ,
 Gallico maior ! trahat ille vulgus ;
 Roma te vidit stupefacta primos
 Ducere patres .
 Roma tormentum fidium insecuta
 Dulce, concentûs licèt ipsa mater :
 Allobrox miræ Venerusquè plausit
 Nuntius arti .
 Viuidum claro celebremquè alumno
 Laudo Simpsonum : vaga fama quantum
 Thessali cultu iuuenis magistrum
 Distulit orbi .
 Hastenùs plectrum citharamquè vates
 Nouerint : arcu violaquè freti

Concinent posthac : nequè Thressa ceteret
Chorda Britannæ .

O virum felix, & opima rerum
Albion, sedes placitura Musis !

O poli sidus mihi, quò remotam
Dirigo puppim !

AD THAMESIM,
FLUVIUM LONDINENSEM.

*Alios Fluvios alij poëta sua quisque patriæ nobilita-
runt : magna Ghibbestum tenet spes itidem
illustrandi suum .*

ODE VIII.

P Actolum nequè pes auri, nec flammea Solis
Tam vehit Eridanum
Rheda per ora virum, Tiberimquè potentia Martis ,
Quàm benè vatis opus .
Vatis lingua, sacrum : binas creat illa sorores :
Matris ad obsequium
Nuncia fama uolat, parili se gloria nisu
Tollit in astra comes ,
Ocyùs & ventis, & fulguris ocyùs igne .
Hic adamante ligant
Nomina perpetuo, fugitivi nescia secli ,
Quæ vetuère mori ,
Seu rerum, seu digna hominum . Miraculà septem
Sic resoluta vigent .
Heròasquè etiam, mortalia corpora pridem ,
Axe Cumcena beat .
Smyrnæi sed enim quis sciret stagna Meletis ,
Tu nisi Homere fores ?
Tu nisi, Homere, secas fontes rixantibus, arent
Et Chios, & Salamis .
Et sua Dircaum librârunt carmina cyncum ,
Et sua Minciaden .

Aufi-

Aufidus, atquè Salo proprijs creuère poëtis,
 Vrbs vt Echionia.
 Rhenus itèm, Ligerisquè vagus, nec limpìdus ante
 Vistula Sarbiniũ.
 Te quoquè clarabit, vates cognomine dicar
 Si Thamefinus ego:
 Quantũ non Luddus fortassè, vel Indica merces
 Hactenũ obrinuit.

CAROLO PORTERO
 DE FIGVEROA, ALVMNOSVO.

*Cum dolore capitis afficeretur ex nimis curiosa ESCV-
 RIALIS disquisitione. Vnde Basilica describitur,*

O D E I X.

CRedebam temerè: iam leuibus fidem
 Addixisse pudet, CAROLE, fabulis.
 Pressæ pondus inest grande scientiæ,
 Rerum fertquè catus non nisi sarcinam.
 Addixisse piget. Me duce, culmina,
 Aeternosquè lares, fanaquè cum tholis
 Aurata, æthereis æmula sedibus,
 Lustrantem faciles marmoreo solo
 Et calcasse vias iuuat, iaspidis
 Et pressisse gradus vndiquè turgidos.
 Atquè hinc Palladij feruidus eloquũ
 Scandis dædaleis scalpta laboribus
 Graijs tecta viris, & Latiam domum,
 Hic voluisse libros, hinc laquearia,
 Pileta imparibus ficta scientijs,
 Hic sphæras duplices, Austriacam & pharon,
 Quæ sensit globulos bellica Turcicos
 Victrix; hinc veteres cœlituum manus,
 Quantas relliquias! cœlituum manus,
 Augustine tuam, docta Teresa,
 Mirariquè tuam, monstraquè Nerei.

Ar-

Armata, & melius mortua tangere
 Nusquam finis adest. Indè per obuios
 Anfractus recipis præproperus pedem
 Ad patrum cathedras, & vigilem chorum.

Sic mens constituit nempe Philippica,
 Eius, qui Hesperiae regna Britanniae
 Iunxit connubijs, cum strueret reus
 Voti, Sancte tibi Martyr, amabili
 Quem donat viridis nomine Laurea,
 Turres, haecque domos, nil Mareoticis
 Debenes tumulis, & sacra limina;
 Deuoti assiduis vt Superum ducem
 Ambirent genibus sacricolae, bonas
 Cantarentque preces, seu vagus aureos
 Dispergit radios Cynthius, inuida
 Seu nigris vehitur Luna iugalibus.

Feruet nunc etiam iustum opus, æquora
 Dum templi Phrygijs lucida cautibus
 Despectas, & honorem, & fitis inscias
 Potas non humili lampadas vngue,
 Quæ centum rutilant continuâ face
 Aris præ totidem. Suspiciis in caput
 Pendentem cupido lumine Gloriam, &
 Alatos iuvenes, ac procerum globos
 Stellanti varios firmate; vitream
 Pallâ cæruleâ, & cyclade Virginem,
 Natum interque Patrem, Flamen & imminens,
 Umbratam merito tempora fulgure.
 Luketti breue opus, pingi at ianthinis
 Cœlorum spatijs iustius. Immemor
 Luketti, Titianæ vt tabulas manus
 Haufisti veteres, sis subito, & stupes.
 Qualis fertur amans Eurydices procus
 Auras in superas è Styge luridâ
 Venisse; attonitus sic reprimis gradum,
 Vix teque ipse capis. Cernite, cernite,
 Aeternam Superum cernite adorem,
 Auctorisque decus perpetuum sui.

O sanctæ facies ! ô pia corpora !
 Ludor ? pressa meis ân caro tactibus
 Subsidit ? manibus nûm referunt manus ?

Tantum effatus, adis impiger aureas
 Urnas reliquiarum, & cineres sacros :
 Cùm Muri è medijs plurima cursibus
 Ars non muta trahat . Torrida ferreis
 Clathris ossa vides, ac rabiem efferi in
 Sugentes pueros regis inutilem ,
 Famosæquè Crucis fragmen, & impios
 Sentes, qui rigidis nobile morsibus
 Detriuère caput . Quò, Polyhymnia ,
 Nunquam Diua tuo nomine dignior ,
 Quò vatem rapies ? Paucula millium
 Sit prompsisse satis . Tædia barbiti
 Lenit Mæonij Pieridum chorus ,
 Lesboides refugit . Curta placent magis .

Exin præcipiti te facilis gradu
 Descensus liquidis ad penetralia
 Thesurosquè sacros passibus inuèhit .
 Hic quas voluit opes aurifluus Tagus ,
 Hic & quas oriens Phœbus, & occidens
 Gazas diuitibus condidit Indijs ,
 Altaris decori multiplicis nitent
 Intextæ vario, & mollibus infulis .
 Hic Diuûm effigies vndiquè pendulæ ,
 Regunquè Austriacæ signa propaginis
 Gaudent mixta sacris parietibus legi ,
 Transcribiquè tuis, clare Puer, notis .

At rerum ordo vocat pulchrior aspici ,
 Regali potior coniugij pyrâ ,
 Eduxit cineri quam pia comparis
 Vxor ; nec patulo concilio Iouis
 Cunctis cum Superis, cedere Pantheo
 Romano didicit, vix didicit polo
 Stellanti . His adytis planicies regit
 Strato versicolor marmore ad inclytum
 Aeterni penetrabile ac solium Dei .

O viuis patriæ, parcite Cœlites,
 Fulgentis color! ô vultus amabilis
 Astrorum! domus & certa Dei! prior
 Exclamas. Operi millia dædalo
 Certant signa, & opes, donaque regia.
 Stat turritus apex Dalmatico rigens
 Auro, & conspicuis peruigil ignibus
 Eöæ Theridos: tectum adamantinum
 In sphæram mediâ parte tumet sui
 Orbatam inferiùs: quadruplici ordine
 Axem fulcra nouum læuia sustinent,
 Vno Hermetis auo sidera languidis
 Contorquente humeris, ambitiosius.
 Horum materiam plurimus artifex
 (Dat porphyriacus materiam lapis)
 Septenni spatio longiùs vrserat
 Infraſtorum adamantum icu & acumine.

Includunt pretium, sed pretio carens,
 Cryſtalli bifores, & paries vitri
 Gemmam, quæ rutilus nomen ab ignibus
 Est lucrata: micat fideribus prior,
 Indefessa suo lumine, mutuas
 Contempſitque faces. Pondus eburneam
 Aram dulce premit non humili modo
 Tectam purpureæ fastibus Iridis.
 At discrimen meſt: Diua coloribus
 Iunctis, illa nitet prodiga ſingulis,
 Matutina nouo, quotquot eunt dies,
 Cum Sole, & roſei luminis arbitrà.

Partæ non mihi fas æmula gloriæ
 Mauſolæa ducum mittere, maximo
 Nati cum genitore aurea maximi,
 Rectorum Hesperia: Cæſaris hinc patris,
 Hinc dignæ ſobolis ſurgit honos, honos
 Supremus. Vir hic eſt, qui poſuit reus
 Voti, Sancte tibi Martyr, amabili
 Quem donat viridis nomine Laurea,
 Turritasque domos, ſacraque limina.

Hic vir, qui Superùm concilij potens,
 Et pars magna fuit; sedibus igneis
 Adscriptus, trepidat dum celer vndiquè
 Terris imperium, cœlo animos homo
 AEquare, & geminum ducere Cynthium
 Mutatis peditem curribus. Hic vir est,
 Tali cui datus est filius indole,
 Promissusquè nepos tantus, Iberiæ
 Ingens præsidium, & dulce decus suæ
 Gentis: Te memoro, Quarte Philippe. Iam
 Discat Cecropij porticus atrij
 Perfectum Samij Panthoidæ nouo
 Exemplo stabilire: Omnia sunt tria,
 Firmetur tribus his. Magnificentiâ,
 Aut maius pietate, ac sapientiâ,
 Quid cœlum dederit ciuibus arduis?
 Hi gesere duces hos titulos tamen.
 Et gaudet numero quod Deus impare,
 Firmetur tribus his, Tardiùs ah! precor.
 Te sero rubeat fidere Iulium
 Sidus: te paueat Gallicus Hercules
 Iam nunc, detquè tuis effeda laureis
 Olim fronte minor, quandò per æthera
 Scandes victor ouans ad Capitolium
 Urbis stelligeræ, cumquè parentibus
 Iunges numen, auo gestaquè Martia,
 Ciuilemquè operam, non sine plausibus
 Denfatorum humeris Cœlicolùm omnium
 Narraturus. Erit pacis honor tuæ
 Magnum Pantheon, ô maxime principum, vt
 Deberi tumulos ædibus in suis
 Indignetur auus sic tibi regios,
 Ac tutos cineres, cæterà prouidus
 Heros, parquè tibi. Labimur indè per
 Exrentum gradibus cærulæ Iaspidis
 Descensum vsque ad opus nobile. Scilicèt
 Ingens tanta decet semita Pantheon.
 Altari premitur suppositum benè

Summo, fertque Deum fornice, pondeti
 Par, nec fidereis inuidet arcibus,
 Maiestate pari. Sit satis: impiè
 Nè tollatur humius sorte minor suâ.
 Atqui (cogit enim dicere veritas)
 Cælo præstiterit regibus incolis,
 Peiori renuens limina sanguini.
 Rex est vestibulo, quique sedet throno
 Sublimis Tyrio murice. Pendula
 Circùm, quodque cauo ritè situm loco,
 Surgunt bis gemino funera in ordine;
 Fulgentesque thori lucibus Indicis,
 Ad puri inuidiam Solis, & æmulæ
 Phœbes opprobrium. Crediderim entheo
 Prudentem monitu & consilio Ducem
 Concepisse Domus Escuriæ iuga, im-
 metatosque tholos regmine pro loci
 Tanti. Nec meruit machina vilius.
 Inclusum niuæ Virginis arduus
 Qualis nidum & opes (aligerum cohors
 Euexit toties per liquidum aëra,
 Lauretique sacri vertice florido
 Tandem deposuit) turribus aureis
 Delubri ambit honor, cingere gemmeo
 Tantum talis amat carcere Pantheon.
 Fari plura nefas: tendere Tëios
 Neros Musa fugit largius, & lyram
 Frænat Mnemosyne, Castalidum parens.
 Nè post victa maris cæcula, Lesbij
 Exemplo iuuenis, tergore lubrico
 Delphini actus eques, verrere mitia
 Coner stagna minor nauita palmulis.
 Haud moles referam mutus & immemor
 Tercentas trabibus Mygdonijs datas
 Sustentare domum: non referam atria,
 Erroresque, dolosque, ac dubias vias
 Centum & mille locis, ipse reuoluere
 Quas nunquam valeat Cres faber, horridi

Inuentor Labyrinthi extiterit licet.
 Hic non fila regant Gnoſſia Theſeum.
 Mittam & ſacra patrum clauſtra, & imagines
 Clauſtorum, atque gradus, & medium decus
 Horti cum gelidis fontibus. Attamen
 Veſtra pace, Deæ, Socraticos lares,
 Rixofumque latus (cedite barbiton)
 Laudarim tremulo pectine pleniùs.
 Fruſtra: namque tenax propoſiti vtraque
 Auerſata negat lumine turbido.
 Nec quâ parte canam lauriger ædium
 Rex aulam ſtatuat: nec viridaria,
 Aut viuos ſatices, nec bona narium
 Dicam, perpetuo cum Zephyro incolâ, &
 Venatrice Deâ, non ſine Gratijs.
 Exegi. Variâ ductus imagine
 Dùm luſtras oculis, CAROLE, ſingula,
 Te vertigo rotat: nec minùs heu! meum
 Torquet nunc dolor, atque ebrietas caput.

AD FAMIANVM STRADAM,

ad annua pietatis exercitia ſecedentem.

O D E X.

C Vi concitatum perculit enthei
 Vis mollis œſtri pectus, & aureo
 Renidet igniſas medullas
 Dius amor pepuliſſe thyrſo;
 Non ille rauçi murmura Boſphori,
 Depræliantis nec rabiem Noti,
 AËſtumque fallacem Charymbdis,
 Nec Libyci vada nigra ponti
 Tentare pallet. Si mare barbarum
 Euertat imis ſedibus AËolus,
 Perrumpit obſtantes procellas
 Odryſiæ nouus hoſpes oræ.

Quin

Quin & viarum deuia spreuerit
 Alatus ardor, spreuerit impios
 Getas, & æternum Getarum
 Frigus, Hyperboreasquæ brumias,
 Qualis trifulcæ cuspidis arbitra
 Per densa nimborum, & nebulæ globum
 Lacescit audax inquieti
 Thræicias Aquilonis iras;
 Sic insequentem, dum premitur, premit,
 Fugat fugantem, nec proprijs cadit
 Fœcunda damnis, & sub ipsâ
 Morte viget rediuiua virtus.
 I, STRADA, felix: cernis vt impigram
 Velox in altum penna vocet ratem
 Cœlestis Austri? pande vela,
 Et roseas cita puppis vndas
 Findat, citatis ocyor Africis:
 Optata donèc litora palmulis
 Legisse, victricemquæ detur
 Fronde suâ decorare pinum.
 Te nos amoris, dum licet, igneis
 Sequemur alis. Ibimus, ibimus,
 Vtquæ præcedes, supremum
 Carpere iter comites parati.

IN OLIVERIVM CROMOELLVM,
execranda memoriæ tyrannum.

*Vt, dùm per tempus licet, occupatam deponat domina-
 tionem: alioqui fore, vt ipsum serò pœniteat, cum
 proditoris patriæ more (sicuti postea accidit) male
 mulſabitur.*

ODE XI.

O Infamis apex, & Phalaris criminibus nocens!
 Detestata tuo cum fodiet marra cadaueri
 Sub furcâ tumulum; stansquæ iecur diffiderit fudes;
 Nunç

Nunc & qui tumor est Tarquinijs fastibus auctior,
 Depressus Cromoëllum infantiem fuderit horridam :
 Eheu, sæpè gemes (regia tum fabula manium)
 Qui sensus misero est, cur similis non erat integro ?
 Vel cur imperium prædo tuli cum Domini nece ?

AD S. MARIAM MAIOREM.

*Initiandus sacris iam quinquagenarius, facturusque pri-
 mum ad Aram ipsius in monte Exquilino, multam sa-
 lutem Parnasso dicit, & Stilum suum dedicat B. Vir-
 gini.*

O D E XII.

Vita nimbofas imitata puppes
 Nostra, securum tenet ecce portum ,
 Mille post cautes maris, & laborum
 Tædia mille .
 Sera, sed fulsit mihi stella tandem
 Alba ridenti Cynosura vultu ,
 Quinquies cuius riguere denis
 Tempora brumis .
 Ac velut nautis Pharos, Exquilinæ
 Sic micant arces procil adnatanti :
 O niuis clarum iubar ! ô serenæ
 Signa MARIAE !
 Scando iam supplex, nouus & sacerdos
 Tempa Spartano decorata saxo ,
 Thuris, & doni reus : Ara utroque
 Crescet honore .
 Carmen, & filo resonante plectrum
 Parcius tento, metuens iocari :
 Phcebus, & Phcebi chorus, & bicornis
 Ascra faceffat .
 Colle sacrato mea fessus arma
 Miles appendo . Feret iste postis ,
 Virgini læuus, memoranda notæ
 Pignora dextræ .

K

Sume

Sume votiua tibi, DIVA, pennam,
 Sume quo MAIOR titulo vocaris:
 Non subit casus; sed eris clienti
 Maxima semper.

AD HERIBERTVM PLATERVM,
 EGREGIVM POETAM GALLVM,
contubernalem suum.

Illi facto Patavi Doctori in Medicina facultate maiorem in modum applaudit.

O D E XIII.

N Vtrit ornandis Aponus coronis
 Frigidos inter calidosque riuos,
 More Parnassi, sacra mille docto
 Germina Phœbo.
 Et suæ Musæ, suus est Apollo
 Nobili monti: pharetrata dextram
 Implicat Nymphis, glomeratque passus
 Diua per herbam.
 Diuidit leni taciturna morfu
 Vnda nitentem sub inane glebam, &
 Terga perrepat nemorosa puri
 Agmine fontis.
 Hinc & hinc myrti, viridesque lauri
 Gestunt lentos sociare ramos;
 Quæ rosæ accrescunt, violæque, & omnis
 Copia Floræ.
 Hic suo Thuscus capiti Petrarcha,
 Immemor Pindi, gelidæue Cyrrhæ,
 Stemma decerpit, placidoque fauces
 Proluit anæ.
 Hic & herôes Podaliriani
 (Nam Deus sertum medicis dat idem)
 Vnicè quærunt crepitante frontem
 Cingere baccâ.

Quâ

Quâ volis crinem redimite fronde
Mite cunctari: tibi mons, PLATERE,
Torus affurgit, tibi colla flectit
Arbor & herba.

Nescius fati, celebrer poëta,
Viuidam laurum cape: sic potenti
Arbitro vatum placitum, simulque
Vatibus ipsis,

Gnarus herbarum, miseræque pulfor
Tabis, æternam variabis vmbra
Fronibus, quas aut panacæa trudit,
Aut amaranthus.

Eccè pro voto folijs reuinctus
Prodit admixtis caput: eccè doctor
Iam salutatur, reboatque Circus,
Galle, triumphæ.

IN ROSAM PERVVIANAM,
EX ORDINE S. DOMINICI;

admirandæ Virginem sanctimonia, utpotè D. Catharina Senensis perfectissimam imitatricem. Congregatio Sac Rituum nunc habet Vitam sub examine.

O D E XIV.

C Vi patrem Flores, & Oliua matrem,
Lima vitales genialis auras,
Diuitem cessit Peruiana tellus
Crescere glebam:

Iure dicêris ROSA, iure Virgo,
Lilijs albis prior & ligustris;
Spina te quamuis comitata rubro
Sanguine tinxit.

Magna virtutum nouus orbis acta
Exprobret nostro, nisi quòd sequaci
Prætulit clarum Catharina lumen
Thusca puellæ.

K 2

Vndè

Vndè solennes meditatur aras
 Roma longinquæ, patrioquè poscit
 Thure præsentem sociare Diuam, &
 Inferit astris .

Fiat alternum Superis duellum :
 Illa deuexos bona viset Indos ,
 Tu per Europam populi memento
 Ritè voçantis .

AD VIRTUTEM .

Thomam Somersettum, totamquè Vigorniensem familiam celebrat. Recentem honorem in D. Petri Basilica Vaticana collatum Thomæ à commendatione Virtutis, ad maiora gradum fore auguratur.

O D E XV.

TEmplorum tibi si limine peruius
 Implexo vsus erat, DIVA, & adoreæ ;
 Vt quem traxit honos, antè capefferet
 Virtutis mediæ tholum :
 Hic euertere amas non populariter
 Morem . Cæsareo nobile sanguine,
 Et regum titulis, & ferie ducum,
 Nomen posterior capis .
 Audita est gemino dudùm Hyperioni
 SOMERSETTA domus : Memnonis vt parens
 Comis, nec sit Atlas notior hospiti,
 Condat, seu reparet diem .
 Sed quid lata valet gloria, gloria
 Si tantùm est ? sine te, dixero Erostrati
 Famam, cui potuit sacrilegâ manu
 Præferre ipse Ephesi facem .
 Atquè tot proavis haud ego grandibus
 Defecisse reor te sociam, Dea ;
 Præfens in varijs ire periculis,
 Fraudes alma retexere .

Hec

Hæc fasti memores, ac tabularia
Regnorum, acta colunt. En iaciam rude
Semen, perpetuis materiam libris

Quondam diuitis aræ.

O gens certa Dei, grata Vicario
Firmi propositi, corde Vigornia
Inuicto, quoties religio petit

Contra flagitium latus!

Promam illustre, recens: discite posteri
Nunc omnes vel ab hoc. Principis in fide
Vel durare pater, vel cupidus mori,

Ceum regi Superum datam,

Ciuii miseræ clade Britannia,
Quid fecit? Phrygio parcere censui,
Neque vitæ voluit iam senior, bonis

Auctor pergere filijs.

Eheu, quis rigidas contineat genas
Fando talia? proh, Dardania subit
Pubis nil meritæ! cernitur integri

Exemplum Priami vetus.

Quod sæuis homines casibus eminent,
Et quasam tenuis de trabe suppetit
Asser; quod laceris numina vestibus

Ignoti sacra litoris

Donant incolumes, muneris est tui,
VIRTUS, ferre pigros fortiter impotens.
Tu fasces, cuneosque, & celeres rotas

Fixo lumine sustines.

Tu plumbum liquidum lætitiâ vocas
Bacchi, & conspicuis æqua clientibus
Prælibas: ideò te rabidus fugit

Tortor, te metuunt duces.

Absorptum decumis quam propè fluctibus
Arctoi pelagi, dum violentior
Nauem turbo premit, suppositam Petri

Seruasti iuuenem scapham!

Hæc nos Pamphilio candida præside
Cæsi fatam damus. Non temerè rubet

150 IAC. ALB. GIBBESII
Victis Sol nebulis, mōx aliquid suū
Tinget clarus imagine.

AD FRANCISCVM ANGELVM
CARD. RAPACCIOLVM.

*Laudatur Otho Tertius, ipsius Latina tragedia ;
ad quam divulgandam rogat ut se
permittat exorari .*

O D E XVI.

HEu, quæ digna cedro, lente, volumina
Blattis das epulas ! quot malè perdere
Claræ fulgura mentis
Quæris nube modestiæ ?
Sextam præteragis iam trieterida ,
Nondùm clausa patent scrinia . Terminum
Tandem pone latebris ,
Nec mundi sapias malo .
Atquæ Romuleis pulcher honoribus
Affulges populo, nescio quid tamen
Ostro maius, & auro ,
Præfert ingenij decus .
Hoc, vt plena Deæ munera mobilis
Vltrò reddiderint Socratici viri ,
Nemo tam fuit vnquam ,
Qui veller dare, prodigus .
Quin de posthabitâ scribere gloriâ
Ingressi, minio nomen Iberico
Appinxere libellis :
Est tanti, fieri Iouis
Partu Palladio, & nisibus æmulum !
Te, si non solidum, partem aliquam abditâ
O FRANCISCE, rogamus
Thesauri citò diuidas .
Vel quam sollicitâ mente Tragœdiam
Vidi nupèr hians ; sùm legeres reum

Cul-

Culpâ vxoris Othonem,
Et me surripere mihi.

Quid vindex faceret? quod nequè postulat
Crispufuè, Hippolytufuè: imperiofior
Torquato iubet igne
Authorem fccleris mori.

Hic quales operi fingitur addere
Verborum ftimulos: moribus vt tuis
Partes iudicis implet,
Magniquè ore tuo ducis!

Vt nil futile, nil non tabularijs
Seruandum, velût oraçula, publicis
Regnantum documento,
Expronit Pylijs modis!

Et fuspendis adhuc commoda ciuium?
Claudat iura Solon, quid foret Attica?
Libros vte Sibyllæ,
Quid Romana potentia?

Haud fertur temerè conditor vrbium
Amphion: hominum, non laterum bonus
Vrbem conftituit ordo,
Quotquot mollit artibus

Agreftef fapiens. Hinc vigor eloquij
Sylvas & fcopulos creditus, & feras
Blando ducere fenfu,
Phœbeâ potiùs lyrâ.

Ergò pande libens pectoris ardui
Gazam: fapè graui quos rutilus manus
Dirabas, agè, forti
Adfis mente Quiritibus.

Facto, crede mihi, ftat pretium: ominis
Quiddam fcena regit. Vidimus, impiger
Quos Pompeius honores
Auctori rulerit fuo.

FRANCISCO CARD. BARBERINO,
S. R. E. VICECANCELLARIO,
ANGLORVM IN VRBE PROTECTORI:

*Laudat præsens illius imperium sub Maximo Urbano
patruo sedente.*

O D E XVII.

QVæ fama vatum, quisuè potentium
Eductus astris Pyramidum labor,
Quæ cura Romani Senatûs
Attonitos tua per minores,
FRANCISCE, fastis acta perennibus
Æternæ? O, quæ tergemînâ micans
Auditur Urbanus coronâ,
Clare nepos, graue cui recumbit
Vrbisque, & orbis pondus, & ardui
Moles Olympi: fers tamen integer
Atlantis instar, nec laboras
Herculeo releuare fulcro.
Prò, quanta mundum visere faustitas
Cœpit vel ipsis mensibus imperi
Primis! Iouem credebat ætas.
Læta patris tenuisse regna.
Cognata prisco flumina seculo
Lactisque, mellisque, & pretij vndique
Iuère riuus: tunc dolosæ
Iustitiam coluère gentes,
Artes iniquas dura necessitas
Inuexit olim. Cur ego ciuibus
Imponere annitar malignus,
Si Phrygio licet esse regi?
Tunc ausa longo post Dea tempore
Redire terris, quam pepulit scelus;
Gaudensquæ virtutum choræa
Compositi studiosa mundi,

Et

Et fas, piūquē, & religio, & fides
 Non vſitatis candida veſtibus,
 Descendit æternis Deorum
 Ordinibus, tutilaquē ſede.
 Per te reuixit; te duce, melleum
 Durabit æuum: ſcilicet hoc apum
 Portendit examen, frequenſquē
 Ambroſiæ ſine felle ſuccus.
 Te nunc gerentem publica fortiter
 Bis denus annus, maxime Principum,
 Excepit, applaudente cælo
 Purpurei moderamen aſtri.
 Te ſancta patrum curia ſuſpicit,
 Te plebs adorat poplite Romula
 Flexo, & coronatum trophæis
 Sepoſitæ venerantur oræ.
 Iam BARBERINI gloria nominis
 Famiæ citatis veſta curulibus
 Illuſtrat Eoūm cubile
 Solis, Hyperboreamquē Thulen.
 At peruiçaci fræna Britanniæ
 Impone Cuſtos, ac validâ manu
 Reſpecte collum, nè protæruo
 More equitem malefida iactet.

VBERTINAE CVRTEVILLIAE:

*Pro enſe gemmato Phrygiæ operis Bruxellis
 donato ſibi gratias agit.*

ODE XVIII.

CVi te Dearum ſufficiam loco
 Natiua rubræ Nympha Druentiæ?
 Themifnè, an alma Gratiarum
 Mater eris, Charicumue primâ?
 Solifnè, an alti pulchra Dieſpitris
 Marita ſcalpi teſtibus & ſoror

Di-

Dignere stellis, dic, an vda
 Nata Dea, Oceaniuè coniux?
 Bilancæ Virgo, simplicis indice
 Iusti, Venusquè, & purpureo Charis
 Deçore cedat; ipsa Tethys,
 Ipsa Iouis soror, ipsa Phœbi,
 Quocunque præstant munere singula
 Aut dote, cedat. Palladis otio
 Si fallis, VBERTINA, soles,
 Victa suam Dea temnat artem.
 Testis mearum Medus acinaces
 Opinionum, quem lateri iubet
 Micare nostro, dum morabar
 Austriacâ nouus hospes aulâ.
 Quanto integebas fulgure cuspidis
 Tegmen! corusci lumina dices
 Coacta Olympi, vel patenti
 Ore Tagum vomuisse gemmas?
 Tot quæ refulget cœlituum bonis,
 Quam, Musa, dicam? non Superis parem
 Audebo nuncupare, Musa,
 Ast hominum recitabo Diuam:

AD FERDINANDVM II.
 MAGNVM HETRVRIAE DVCEM.

*COSMI Principis filij satum, natum ei esse mense Augusto
 Nepotulum, alteram spem Tusciae, in communi latio-
 sia ab usquè Roma gratulatur.*

ODE XIX.

O Iurè magno splendide nomine
 Auguste mentis, seu fluis augurum
 Promissus alis, siuè Thuscis
 Cæsareis cumulas triumphis,
 Semper beatis lætior auctibus
 I, mactus esto. Quàm procùl arzigit

Plau-

Plausus Quirites ! quo fragore
 Ripa tonat Tiberis sinistra !
 Cœlumquè, quanquàm luce serenius,
 Læuo remugit murmure ! Garrula
 Perstrinxit èn voces imago ;
 Altera spes, Puer alme, salue .
 Nosquè Hadrianæ molis ab aggere
 Festi boâtus reddimus igneos
 Arno sonanti : capret Echo ,
 Vince sacrum Soboles Leonem .
 Grande alta calcar gloria sanguinis
 Suffigit : haud talaria vatibus
 Cantata deportantur æquè ,
 Non aquilæ Zephyriquè plumæ .
 Hæc te coronat, COSMIDE, adorea :
 Gratare forti : Iam tibi Olympico
 Fascesquè, lauriquè, ac tiaræ
 Mediceas peperêre Stellas !
 A matre paulùm ride ad auum, domûs
 Stantem columnam . Tu crotali vice
 Vti docebis, FERDINANDE ,
 Orbibus Astyanacta senis .



IAC. ALB. GHIBBESII
POET. LAVR. CAES.

E P O D O N
L I B E R .

A L M A E M A T R I
AVDOMARENSI ANGLORVM ACADEMIAE .

O D E I .

*Se puerum in eius gremio ad humanitatem excultum
gloriam nominis immortalem attigisse .*



AVDET Philippo natus alterum patrem ,
Regemque postponat sopho ;
Tu dum secunda veneris mater mihi ,
Non ille rivalem tremet .
Te, Virgo, docta Belgicæ Pallas plagæ ,
Agnosco nurricem libens .
Iacto parentis filius Quiritibus ,
Plusquam Quirites Romuli .
Exerta mammas, inter arcta brachia
Ulmo maritâ strictiùs ,
Per quinque brumas pectori admôras pio ,
Sævâ fugante patriâ .
Cum lacte, fidei candor, & mores probi ,
Amorquè suctus artium .
Elementa visus tradere accurrens Aâ ,
Leni fluento garrulus .
His me decorum plurimæ primordijs
Vidère post gentes virum :

Principibus altis ire miratæ parem ,
 Magno sub astra nomine .
 Quid, quòd supremis Chisiorum montibus
 Afflare lucem credimur ?
 Ambiuit ergò Roma doctorem suum ,
 Phœbi potentem & Mercuri ;
 Ambiuit almæ porticus Sapientiæ
 Mercede inauditâ prius .
 Nec liuor indè rodit vllus aduenam ,
 Omnesquè cum plausu colunt .
 O dîa Siren, clara virtutis comes ,
 Et vos duces, Loiolidæ !
 O efficax vis sapere Bœotos quoquè ,
 Vbi allaborandum est simul !
 Vtrique gratus muneri acceptum fero ;
 Si liceat, & soluam vices .
 Quòd Latia pubes extero assurgit mihi ,
 Suumquè sermonem refert :
 Quòd & lepore volito notus Artici ,
 Vestrum est, & æternum decus .

AD THEMIS
 IN AEDE SAPIENTIAE .

*Theses legales memorat fuisse à Io: Angelo, Ducis Al-
 taempfy filio, & Alexandri P. M. Cubiculario se-
 creto, perdoctè in Aula maxima Sapientiæ propugna-
 tas, cum magnificentissimo ipsiusmet Pontificis, cui
 dicauerat easdem, apparatu .*

ODE II.

Lacata tandèm deuolat cœlo Themis ,
 Terramquè rursùs incolit .
 Quinimò Alexandro beata principe
 Offendit in terris polum .
 Nam quæ supernas res duæ illustant plagas ,
 Adorea & Sapiaentia ,

Vrram-

158 IAC. ALB. GHIBRESII

Vtramque miro, Diua, consensu tenes
Infrà renidentem tibi,
Hoc orbis oculo, iurè virtutis Pharo,
Hac vrbe teste Romuli.
Lux hæc theatrum numini fecit tuo,
Quod inuideret Terminus
Iouis sodalis, rupe Tarpeiâ manens,
Cùm turba migrâsset Deûm,
Quatiente pennas tequè. Nam commercium
Fugère nostrum cœlites.
Sed melior ætas seculum felicius
Tulit sub astro Chisio.
Rediêre mores aurei mortalibus,
Rediêre læti cœlites.
Ius fasquè regnat, postquàm Alexander iubet,
Frcenator orbis maximus.
Nouos honores ipsa te maior, THEMI,
Ut sanxit hic Solon, stupes.
Quod cordi amicum, Sophia regales parens
Induta cultus excipit.
Quisquamnè cœlum deneget, si construunt
Et Pontifex, & Angelus?

S. VVENEFRDAE BRITANNÆ,
VIRGINIS, ET MARTYRIS.

*Cuius dies festus mirifico apparatu musices & pictura d
Marchione Somersetto, in Collegio Anglorum Roma-
no, splendidissimè celebratur. X. Cal. Quintil. 1662.*

ODE III.

Britanna Virgo restitit viriliter
Sæuis Cadoci machinis,
Contra pudorem quas librat princeps malus,
Christoquè desponsam fidem.
Ergò cruento messuit ferro çaput
Adulter haud passus moras.

At

At ô stupendum ! stadia sic truncus facit,
Portans in vlnis verticem .

At ô tremendum ! sorbet incestum niger
Hiante Pluto gutture .

Te, VVENEFREDA, reddidit Benno tibi,
Partesquè commisit sacer .

Deindè lustris fassa mortalem tribus
AEterna inîsti secula .

Vtuncquè plaudis indiges, cognouimus
Diuæ tui præsentiam .

Illic quiescis ; attamèn laboribus
Amica nostris immines .

Centum medelas fontis è venâ sacri
(Quem fusus expressit cruor)

Miratur orbis, incolis & aduenis
Manare jugi flumine .

Diuisa ferri creditur valentiùs
Cœlestis indulgentia .

Hinc sanguis vno subuenit cultus loco ;
Iuuat supernè spiritus .

Longè remotus adfuit semper cinis
Voto clientum supplici .

Hæc dedicatur corporis translatio
Nunc vocis ac lyræ modis .

Hanc murus omnis, hanc tapes præfert sacram
Pictis decorus artibus .

Festas per aras dulcis exhalat vapor,
Piantur aræ victimis .

Quid tum, beatos si renet Salopia,
Non Vrbs & artus nouerit ?

Noscat : feratquè viuidis præconijs,
Et Roma certet Angliæ .

Fauore Somersfettus afflavit suo,
Alas & auras commodans .

IN CHALYBEM,
ANTIMONARCHICVM,
de secta Illuminatorum.

Ei insultat, quod fugiens reducti Regis imperium, dissimulatur Roma utuat potius sub regno Pontificis.

ODE IV.

Q Vid obsoleti Coccygis pars rancida
(Vox digna vestris cœtibus)
Quid hîc negoti, furcifer, tandem tibi est
In vrbe sanctâ Romuli?
Egit tumultûs quippè desperatio,
Post regis accessum, foràs.
Ut Sol tenebras discutit, sic mentibus
Est visus atris Carolus.
Sed cur Latini mitra non terret patris,
Plusquàm corona, perfidum?
Mane : mane : te pellis haud tuebitur
Agnina, vulpem supprimens.
Palàm magistro fassus addictum Petro,
Inuisus oblatrat canis.
Illuminatum sequè iactat desupèr,
Vinctæ culinæ ganeo.
O Dî ! corusco facite dignum nomine,
Fractis in ipsum nubibus.
Splendere vel tu, licitor, i Floræ dato,
Struem aggerens astris parem.
Scimus, minorem nupèr ut Bortum faces
Tulêre cœlestem Stygi.

IN MALVM MEDICVM,

arcanorum Chymia ostentatorem insolentem, qui miserè emendicata purpurati cuiusdam Patris tutela pestis Romanæ tempore latitabat.

ODE

O D E V.

Q Vin pestilenti, peste tu peior, die
 Prodis, amice noctibus ?
 Nunc ista tempus Pœonis miracula
 Monstrare, quæ iactas, palàm .
 Diris vt olim Græcia apta cœlitum ,
 Ni Couis auertat senex ,
 Stantem per omnes vindicem fixit vias ,
 Sic Roma te sacrauerit .
 Quid hoc ? ciere gloriæ flammæ potens ,
 Nutrire fumum sustines ?
 O vere cinis, luscæ furnorum Cyclops ,
 Hos euocabas spiritus ?
 Talesnè tanti sunt tumoris reguli ,
 Dignusquè campanâ vapor ?
 Iam parte quintâ, si vir es, fac Mercuri
 Sæuum repellas toxicum ;
 Quo non Olympi torfit iracundia
 Orbi malum nocentius .
 At ille, tanquàm canere me surdo iuuet ,
 Securus indormit probris .
 Peius fricabo ; peius affigam pigro
 Ad sentiendum dedecus ;
 Pungamquè bilem . Væ, Thraſonum signifer ,
 Quâ luce gaudes, sic fugis ?
 Paoquè pictus, psittacusquè garrulus ,
 Deformis vt bubo taces ?
 Nuper crepabas vocis ad raucedinem
 (Tibi crepent vt ilia
 Aliquandò, balatro, læta quod cernant fora ,
 Vbi ambulâsti cyclicus)
 Manus Deorum, pulueres, crocos, sales ,
 Sigilla contra fascino ,
 Oleum rubetæ, viperina balsama ,
 Lac & butyrum sulphuris ,
 Et mille virus ac febres fugantia
 Horrore solo nomina .

Artem vocat res; hosticæ firmum lui
 Oppone propugnaculum ;
 Mercede pactâ ; texeris, equum preme,
 Tarpeius Aureli comes .
 Temnes ahenum fusus ex auro Ducem,
 Fornacis haud opus tuæ .
 Quòd si parebis improbus Quiritibus ,
 Rubigo Pasquilli manet ;
 Ut sputa, saxa, dicta contumeliæ
 Præter feras euntium .
 Audax in vndis Argonauta dulcibus ,
 Quàm pallet inflatum mare ,
 Ventolus ipse tinea, aut furunculo
 Assuetus, ad luem stupet .
 Versans caminos, tinctus & carbonibus ,
 Nunquàm attigit carbunculum .
 Et indicari quærit extensâ manu ,
 Hic est, hic est Hippocrates .
 Dî splenium fronti applicent, vel perduint ,
 Hic est, hic est Menecrates .
 Qui sanitatem corporis cunctis dabit ,
 Laboret ipsi mens, hic est .
 Id cavit, impos cætera (ô sagax metus !)
 Lictore nè coram vagus
 Pedem moueret, fortè custodem gregis
 Si vellet ægri ducere .
 Ergò rogauit curiæ supplex patrem
 (Quem nôrat hoc periculo ;
 Vrina nunquàm, vena non fecit gradum)
 Firmaret vt gemmâ suam .
 Post hoc replexâ publicus barbâ tumet ,
 Longaquè procedit togâ .
 Nescit magister splendidâ indulgentiâ
 Mulæ creatus Principis .

AD FAVSTVM POLVM,

*ex Præfetto domus pontificiæ Cardinalem ab Vr-
bano VIII. factum.*

ODE VI.

Q Vi pondus axis fulcit, & summi domum
Ceruleæ sustentat Iouis:
Qui siderum orbem torquet assiduâ manu,
Præbetquæ cælo fornicem:
(Vrbano esto Iupiter, mundi caput,
Sunt Nepotes sidera)
Hiç quæ vocetur tandem? Atlas, an Hercules?
Neutrum; audiat FAVSTVS POLVS.

B. FRANCISCO SALESIO.

Illius patrocinium in re sacra expetit.

ODE VII.

N Ossi, SALESII, mentis afflatum meæ,
Vel conscius, vel auctor iniectæ facis;
Quæ semper arsit, semper inualuit morâ
Plus plusquæ nexâ, iussa dum cæli exequor
Ad se vocantis. Venio iam, Superi, libens:
Venio sagittæ more Dictææ celer,
Aquilæquæ rapidis altiùs feror minis,
Strepitum atquæ fumum, opesquæ terrigenum & domos
Risurus vltro, lucidæ ciuis plagæ;
Segnis moueri fortis impactum rotæ
Vtcunquæ clauum verterit, triplicis penes
Quem stat potestas imperi, Ausonius pater;
Et explicârit compedis nodum pigræ
Nimis tenacem gladio Alexander sacro,
Longè ille Magno maior, & cultu prior.

Certè explicabit, facere si cœpit viam,
 Vt nupèr, albam supplici bonus mihi.
 Ipso iubente, summa demessa est coma;
 Volente eodem, præmia capaci appetent.
 Dedit coronam quisquis, & regnum dabit.
 Tu modò, BEATE, (si quid ad laudes tuas
 Contulimus olim, voce permistâ lyræ
 Nouum canentes Sidus, in longos queat
 Quod viuere annos, vsquè repetitum choris,
 Gratumquè templis; & caput quod est, Patri
 Dedimus supremo munus, alteri vt tibi)
 Agè, dedicatæ suggeras menti, precor,
 Pontificis almi gloriæ tubam tuæ
 Me, me clientem. Pronus excipiet preces,
 Votoquè lætus annuet; tantùm velis.
 Quid non parantem Roma conspexit tibi;
 Quid non paratum? Dixit indigetem ætheris,
 Adhucquè dicet maius in cœlo iubar:
 Si Vaticanæ festus apparet color
 Molis per aras, nec stat incassum ardui
 Circus theatri. Sed trahunt Galli diem,
 En signa honoris: omnium faber est amor.
 Vel tolle digitum, curret ad mutam notam.
 Et dubitet aliquis, si roges, quidnam fetas?
 Tanto patrono, quidlibet spero impotens;
 Penetrati amico cuncta concredo bona
 Etiam in tabellâ. Scimus, vt pictos gerat
 Vultus in auro Præfulis, sinu intimo,
 Radiante gemmis, qualis ex alto micas.
 Illic moueto, cordis ô hospes sacri,
 Animæquè Achates principis sanctissime;
 Illic reuolue memoriâ efficacibus
 Nostram loquelis; redde poscenti pium.
 Tandem ista subde pauca sapienti velim,
 Ore at SALESI: Prime, scis, custos gregis,
 Mundoquè rector sorte cœlesti date,
 Quid aduolutus crine deposito experat
 Ghibbesius nunc? non vt, vbi factus sacer,

Titulis abundet; unicum, ut fiat sacer.
Sic sapè utrique victimam gratus feret.

LAVRAE MARIAE DE GYPSIIS,
BONONIENSI,
Virgini Vestali eruditissimæ;

festo die SS. Innocentium religiosa vota nuncupanti.

O. D. E. V. I. I. I.

Docere quis nunc perneget Bononiam?

Quandò puella viris

Virtute certat maximis:

Seu mentis ardor impulit, seu pectoris,

Dextra vel ingenio,

Vel corde cunctos vincere:

Catharina Memphim, rostra Romanæ refert

Palladis Eustochium,

Delphos Amalthee sagax.

Tot vna dotes LAVRA concludit sinu,

Felsineæ urbis honor,

Cingenda fronde nominis.

Hanc audiat Petrarcha, damnabit suam

Cultor inanis Heram:

Hanc cernat intonsus Deus,

Primamquè Daphnen facilè postponet nouæ,

Captus amore procus

Musis adauctæ Thespiæ.

Frustrà: neq; illa cesserit præconijs,

Illa nec imbre Iouis

Mutaret angustam domum,

Egena rerum fortiter, Christo addita

Fœdere coniugij,

Sortemquè decurrens parem.

Sic pauper vltro (cuius est Cræsus pater)

It speciosa magis,

Quàm si triumphet Indias.

Hùc vota spirant, hùc piæ tendunt preces ;
Puriùs vtquè volent ,
Lux Innocentum præfuit .

AD CHRYSEN.

*Sub persona Menalce pastoris prosequitur
perpetuam allegoriam .*

O D E IX.

Q Vò fœlia pèrgis ? aut quibus condis diem
Tectior in latebris ,
Rotamquè sopis Vesperi ?
Chryse, mea Chryse, quid facis ? Chryse, redi ,
Dulcis amica redi :
Ieiuna te forsàn fames
Torquet latentem, dirus aut premit pauor .
Carmina non fatius
Audire nostra, non lyræ
Gratum loquentis aure suspensâ sonum ,
Seù querulæ modulos
Captare auenæ, quàm mori ?
Crudele fatum ! profer ô potiùs caput ,
Et lateri latus ô
Adiunge nostro turgidum .
En, vt benigno Chloris aspectu horridam
Frigore soluit humum, &
Verno beavit stemmate .
En, vt sonoris nulceat concentibus
Plumeus astra chorus ,
Festumquè balent pascua .
Et nos amores feruidi Martis iuuat ,
Idaliumquè thorum
Cantare, Chryse, fistulâ ;
Pisæa quos me docuit olim Thestylis
Montibus Arcadiæ
Inter frequentes ilices ?

Tu Cyprin aureâ barbito dic auream ,
 Aurea Virgo : tuas
 Gradiue, partes concinam .
 Quin ergò prodis ? heu ! quid infelix preces ,
 Verbaquè mando Notis ?
 Quin, Virgo, prodis, ac tuam
 Blando Menalcam cingis amplexu, chelys
 Sollicitasquè fides ,
 Cannauè ludis Attica ?
 Iungamus artes : voluit ah quoties meas
 Pascere Phillis oues ,
 Canentis os vt cerneret ?
 Et, iuro, cernet, si diù Chryse negat ,
 Phillida connubij
 Chryse relicta fœdere
 Mihi ipse iungam pastor, ac sociam eligam ,
 Pane fauente, thori .
 At ô Deorum maximi ,
 Tegeæ, tuquè Phœbe, quorum numina
 Præcipuo colui
 Honore semper Arcades
 Interquè Cyrthæ luce solenni accolas ,
 Vota precesquè, boni ,
 Audite linguæ supplicis :
 Liceat reuerti, liceat & pullis simul
 Tegminibus caput, &
 Velare corpus perfidum .

AD LEOPOLDVM MEDICEVM,
 M. DVCLIS HETRVRIAE FRATREM .

*Presentis gaudium, quod percepturus est, cum addetur
 illi sacra Purpura .*

O D E X .

§ At sua fulgentem commendat gloria Phœbum
 Eoi sine luminis ostro :

L 4

Tu

Tu quoque Tyrrheno regum lustraris honore,
 Romuleæ nil lucis egenus.
 At cum puniceum Titan induxit amictum,
 Ille dies ita gratior orbi
 Subiecto; nobis ita palla clientibus ardens
 Augebit, LEOPOLDE, ferenum
 Vultus dulce tui. Fraternali surgis ab urna
 Sic Phœnix optatus in auras,
 Aut roseus veluti suppresso Castore Pollux.
 O veniat lux alma, precamur,
 Lux niuea signanda nota! mox iusta cerebro
 Ausonii hora Iouis parituro
 Pallada constabit: vel, si de pectore mittat,
 Doctum aliquid Tritonidis instar.
 Nimirum, Princeps, te Musæ vivere talem
 Haud alio sub Apolline rutæ
 Iam novere diu: tu das felicibus esse
 Vatribus, hi præconia tollunt.
 Quos ego voce sequar cœli per nubila cygnos
 Tybridis è ripis minor ales.
 Quid tum, si minor ales? & est sua gratia picæ:
 Perpetuo te picæ loquetur.

GVILIELMO PONDIO.

*Cum Antenoream medicinæ lauream assumpsisset;
 inde usque ab Urbe gratulatur.*

O D E XI.

A Vdijt ingentem sonitum Tybris pater, & se
 Erexit urna turbidus: Quis mihi victor, ait,
 Rursum fræna parat? quis ouanti iungere ponte
 Nostrum laborat gurgitem, capta trophæa sequens?
 Altus iò clamorque virum, clangorque tubarum
 Iò triumphæ personat; Roma, triumphæ, refert.
 Dixerat hæc pavitans. Parce, ô Tyberine, moueri
 Phœbæus excepit Padus; iussa capesso ducis.
 Ponte

Ponte feram tantos haud indignatus honores,
 Mequè ipse calcandum nouo subijciam decori.
 Latoi stirps magna Dei est, Epidaurius heros,
 Paterna quem scientia clarat, & artis amor.
 Ille Machaonios succos, herbasque potentes
 Obiectat agris sedulo, ruraque membra facit.
 O te felicem, ter te, GVLIELME, beatum!
 Quem propter arctant cornua Tybris & Eridanus?
 Testis sum pugnae, ripa dum forte sedebam,
 Quà Thuscus allambit latex nobile Martis opus.

HILARIONIS RANCATI,
 ORD. CISTERCIENSIS;

*Basilicae S. Crucis in Hierusalem Abbatis,
 omni ex parte religiosa bonitas.*

ODE XII.

Ille alter, habuit simile qui nomen tibi
 RANCATE, primum (canere nec versu licet)
 Vitæ quietem gestiens omni procùl
 Strepitu parare, lucidæ tyro plagæ,
 Populo relicto, & vrbe cum fumo & foro,
 Syluæ beatus incola optatum tulit.
 Tu pacis huius artifex mirus, locum
 Haud quæris æquè. Straueras mentis fretum
 Samius magister, sedis internæ memor.
 Hinc semper albi fluxit auspicium status.
 Venale non stat otium: mango, iustitor,
 Nec qui rubentis aduehit gazam maris,
 Ostendit vnquam. Solus id animus facit.
 Sibi quisque proprio gignit & claudit sinu?
 Sed qualis iste est, ô Pater, nulli datus
 Nisi destinato, corporis motor tui.
 Hoc corde & ore, quantus attonitâ scholam
 Post te trahebas Vrbe! tum linguâ impotens
 Proferre verba, verba discebat Quiritis

Au

Auribus apertis. Roma (quis credat?) tacet.
 Ille alter, exul horridos inter specus
 Inuenit; ast tu ciuis ad Solem nitens
 Stupore fecisti tui silentium.

AD FABRICIVM SABELLVM,
 ROMANVM.

*Rogatus quamdiu Roma fuisset, respondet, non sine
 commiseratione Britannia ciuili bello ar-
 dentis, M. DC. XLV.*

ODE XIII:

Tertia iam teritur demessis area culmis,
 Pressoque ter tinxit lacum sordida planta mero,
 Ut lustrat me Roma suum, censetque Quiritem:
 Immane sicco patriæ lumine diffidium
 Quis videat Busris, amet quis Sarmata ciuis?
 Neque vrsus vrsu, nec leo dente vel vngue genus
 Læserit, at dispar. Heu! illa Britannia victrix,
 Pacisque nuper arbitra, Marte domi genito
 Nunc furit indignata sibi. Profugimus ergo,
 Biantis exemplo, nigrae litore ab Albionis.
 Obsessam ille urbem linguens; Valeatis, amici,
 Bacchantis insolentiâ militis in patriam
 Ciuis ego tigres possem, comitesque dracones
 Perferre, dixit, lentiùs. Viperae sobolis
 Pars est, qui cruciet matrem, vel fuerit, almam:
 Quærat alter angulus, nè scelus aspiciam,
 Quid si Cadmæi vidisset femina dentis,
 Ob iurgium domesticum, viuere, prona mori?
 (Fabula sit de te, miseranda Britannia) quid si
 Alterna fratrum funera, sparsaque membra patrum,
 Cognatasque acies vidisset? ad æthera quantus
 Halaret osoris vapor! quàm procùl iret eques!
 Hoc duce, Gallorum perij, quæ proxima terram,
 Communis Euripo falis: mōx iuga Romulidum
 Dissi-

Diffita terrenis contendi scandere plumis,
 Heu! vndè despecto mei turbida fata soli.
 Franciscus tamen extorri solatia Princeps
 Donat, tuæquè FABRICI, nectar amicitiaë:

CORNELIO DOSSINTAE O,
 NOB. ADOLESCENTI XENIVM ROMAE.

Clarum nomen foris aduenire. Neminem enim (ut dicitur) prophetam in patria. Vndè magnanimum in iuvene peregrinandi consilium amplissimis effert verbis.

O D E XIV.

Fama silet quæsitæ domi: sonat acta sub auras
 Trans mare, trans confinia regni,
 Natales exosa lares, nidumquè paternum.
 Nec vati benè creditur vlli,
 Si canit in patriâ. Fraudem Cassandra Pelasgam
 Vana fide intra Pergama dixit:
 Ast Helenus procùl expediens oracula frater,
 Visus erat Grynæus Apollo.
 Idcirco genitor cultas Romanus Athenas,
 Inquè vicem pater Atticus urbem
 Visere gaudebat doctâ sub Pallade natos.
 Heredem sic Cæsar adoptat.
 Non Ithacam tulit, impatiens abscedere Vlysses,
 Materiam facturus Homero
 Iliadî affinem. Pingunt gesta ardua libros.
 Iane, tuis gratare Calendis
 Egregio iuueni, quem clara Britannia mittit,
 Haud vsquàm inferiora secuto.
 Quamuis mille domus præsentet commoda felix;
 Ille tamen sibi Tantalus vltro,
 Fortior oblati, aliò conuerrere vultus,
 Ac mentem potuit dare Musis.
 Iamquè vbi lustra virens implet vix quattuor ætas;
 (O sitis, ô præclara cupido

He-

Heröum, atquè operum magnorum !) ardentius instat
 Externas ditare per vrbes
 Et mores animum solers . Iam Gallica pridem
 Aula vagum formauit alumnum ,
 Nobilibusquè auxit monitis ac dotibus . Indè
 Hetruscas perrexit ad oras
 Meccenatis amans, genio mirè æmulus alto :
 Fortè etiam remeabit Achatas
 Augusto ipse suo . Nequè enim pars parua merendi
 (Quippè fidem Rex respicit exul)
 Dossintæus erit genitor, Vencotria mater ;
 Vtraque gens complexa Senatam .
 Mens eadem nato diuinitis incidit erga
 Seu patriæ, seu regis honores .
 Hunc tu, Iane pater, meliori conspice fronte ,
 Quaquè vides ventura, doceto
 Mense foroquè tuo, cunstantem Martis in vrbe .
 Intereâ Capitolia iustret
 Te duce, perdiscatquè viam, portamquè triumphii ;
 Dicquè, Hâc ibis tu quoquè quondam ,
 Tum voti plenus patrias referetur ad ædes ;
 Latus ego Pæana sonabo .

FRANCISCO DE SANCTIS,

Panegyricum Summi Sacerdotis Hispanicè ab eo scriptum commendat .

O D E XV.

A Eterni patris ac regis, qui sidera torquet ,
 Mundumquè nutu concutit ,
 Iessæus potuit vates præconia dignè
 Cantare, rex idem & pater .
 Ecquis Alexandrum, cui cura vicaria cæssit
 Magni per orbem numinis ,
 Laudârit Sanctum potius te, SANCTE, viroquè
 Summum Sacerdotem sacro ?

Adde ,

Adde, quòd Hispano tollis sermone merentem :
Hoc Dauid est vno minor .

AD ONVPHRIVM CAMPOREVM,
PATRITIVM MVTINENSEM .

Quod pace illius fiat contra suadentis, se iam quadragenarium multam Heliconi cum Musis & versibus salutem dicere. His hactenus & animo indulgisse, & immortalitati nominis consuluisse: in posterum commoditati vitæ medicina facienda unice prospecturum. Balduccij poetae ridicula moribundi vox, & inhonestus exitus.

O D E XVI.

E Sto meam laudare lyram iam finis, ONVPHRI,
Semper benigne seruulo ;
Quem factis etiam cumulasti grandibus, & quem
Nexu æris ac libræ tenes .
Pileolum capiti, seu vis imponere virgam,
(Diebus vt Decembribus,)
Optatum facies, vernæ cum dicere ius est,
Hoc nolo, regi Romulo .
Parce igitur iussis, stomachum vel habere memento
Aduersus insolentiam .
Alter Apollo vocat . Valeant cum carmine Musæ,
Florentis æui gaudia .
Tempus erat plenis, octauo denique lustro,
Mutare gemmas fructibus .
Nolo ego tam steriles in vitæ commoda plausus ;
Auram nec exugo meram .
Hispanas hæc implet equas, nanumque leonem :
Me fama bene partum iuuat .
Quanquam nec meritos inuidit Phœbus honores,
Et nomen extentum volat
Iamdudum, quæ Roma aquilas, & soluere fasces,
Aut linguam amauit Græcia .

Amo

Amplius, intactos valui penetrare Britannos ;
 Thules magister barbaræ ;
 Vtilis ingratae patriæ, licet exul, amore
 Flagrans Aristidi pari .
 Astræam Ducis oppressi Solemque tumultu
 Ciues fugârint perditî ;
 (Cui quandò inuenient similem Busiride digni ?)
 Natale peruincat solum .
 Versus quinetiàm dignatur discere nostros
 Omnis Quiritium gradus .
 Atque aliquis dixit : Vati date sarta, Latini ,
 Flacco, & Maroni proximo .
 Dixerat atque aliquis : Redijt Pomponius ad nos ,
 Viris stupendus Atticis .
 Quantumuis vereat, nè me palpârit vterque ;
 At dulcis assentatio est .
 Quid tamen expectent, claro vel Spada sub ostro ,
 Vel Strada, Suadae corculum ?
 Nil moror hos vltra . Mutinae tam splendida rector
 Accessit ad præconia .
 Sat genio, famaque datum : post funera nomen ,
 Sperare quod paucis licet ,
 Præcepi in viuus, me iam contentus vtroque .
 Est, rebus vt scias manum
 Addere postremam, vel tollere, mascula virtus .
 Quis Florianum sustinet ,
 Egregiæ vocis inuenem, cunctosque trahentem ,
 Audire nunc edentulum ,
 Dùm strepit in templis cristati more mariti ,
 Rugosus ac turpis spado :
 Hac libuit cantare tenus . Vocat alter Apollo
 Partes secuturum ad suas .
 Cura homines, & frange chelyn, sat lusimus, inquit ;
 Hinc vena nummorum fluet .
 Pellax esca lucrum : bipedes caput aureus hamus ;
 Aurum sagaces allicit
 Fortunæ, senisque . Deo parebo monenti ;
 Odi cicadae fabulam .

Annorum medicina hyemem pellita fouebit,
 Nudum Thalia deseret.
 Frigeat illa prius. Parnassia culmina linquo,
 Septem occupatus in iugis.
 Et modò me populus, quem fugerat antè pöetam,
 Mercede conducit graui.
 Ergò fingo habitum speculo Zenonis amicum,
 Epicurus internâ domo.
 Canos arte istâ nimiùm procuro morantes,
 Barbamquè demissam sinu.
 Exeo talari passim spectandus amictu, &
 Centum coruscus annulis.
 Hæc medicum facies, plusquàm vlla scientia, vendit:
 Habe hanc, & in Tybri libros,
 Doctor eris: vanos nam sanat opinio ciues,
 Molli solutos copiâ.
 Sic Ligur ille breui corrasit mille talenta,
 Formare nomen inscius.
 Fratrum quanta phalanx, Superi! charamquè salutem
 Quæ cara venit, nuncupant.
 Sector, & indignor, fatuus prudensquè vicissim;
 Ceù raptus vndis nauita:
 Aut qualis fugitiua gregis vestigia pastor,
 Nè perdat, vrgeret minax.
 Stultus ego patiar medicam ditescere turbam
 Poëta ridendus miser?
 Desipuisse loco, sapere est. Torrente feramur
 Lentis ad æstum brachijs.
 Nunc tempus monstrare duas pro viribus artes
 A Eratis auctæ, vel leuis.
 Mos viget insignis, primos addiscere reges
 Opus, deceret quod fabrum.
 Stat fortuna rotâ, dubio res turbine versat,
 Atquè alba confundit nigris.
 Diua Syracusium traxit de sede tyrannum:
 Ipse arte non sensit famem.
 Et nos effœtæ subituri damna senectæ,
 Sedemus? an viaticum

Ritè per æstatem construximus, ire parati ?
 Sedemus, & construximus .
 Iure quidem . Vefana mihi sententia bilem
 (Risum mouebit plurimis)
 Expressit Siculi, solertis cœterâ, vatis ,
 Dum nupèr instaret mori .
 Territat exemplo solum vixisse poëtam ,
 Turpi probrofus exitu .
 Prodigia quis nescit Pompei facta Columnæ ,
 Cuius domum cum dexterâ
 Expansam ingenio noctesquè diesquè tenentis ?
 O eruditis mentibus
 Proxima gens semper, facilisquè ac tuta columna !
 Quo cepit olim à fornice ,
 Tanquam carceribus, Capitolî meta Petrarcham ,
 Mendicus it Balduccius .
 Fortè suas Princeps pro more redibat ad ædes
 Pransurus, actâ Curtiâ ;
 Limine habet vatem mirans (nam liquerat ægrum)
 Sedi Lateranæ inditum
 Quatuor effultæ manibus : Quis abit ? sum ego, mi Rex:
 Quò lassus ? infirmos greges
 Inter alendus inops, celeri vel morte leuandus .
 Cubile delirus pete ,
 Vndè venis : ah, Pompeius sic notus amico !
 Sic hospitem fœdas cliens ?
 Diç fodes, quid opus ? medicus tibi, pharmacopola ,
 An fortè peccauit coquus ?
 Omnia abundè : tamen nequeo peruertere fatum :
 Quod (cogit vt ferrum lapis
 Ille niger) iubet occultâ virtute poëtas
 Lecto perire publico .

IN NICOLAVM CATANEVM,

*Opus eius posthumum Consiliorum & Decisionum
 ab Octauio filio editum laudat .*

O D E X V I I .

L Egifer, OCTAVI, Catane natale Charondas
 Iactat, nec indignus, solum,
 Iuridicæ regnum Cereris : gentile parentis
 Hinc fluxit & nomen tui .
 Candidior quo non Clitumnus iudice, quo non
 Sentinus iuit purior ,
 Donèc Fulginiam Themidis responsa monebat ,
 Litesquè ciuis ruperat .
 Fine nimis curto conclusimus : Itala tellus
 Parebat omnis arbitro .
 Heu silet extinctus, redimant quem parte loquentem
 Cæsarquè regni & Pontifex .
 Sed cælo securus abest ; securus & absit :
 Tu vota terrarum dabis
 Completa, ô Fili, generosi pectoris hæres ,
 Phœnix relictus patriæ .
 Posthuma diuulgas, vocisquè vicaria scripta :
 Quid euocamus conditum ?
 Sic Plato, & Hermogenes, & codicis Induperator ,
 Fato vigent superstites .

 AD BERNARDVM HOVVARDVM ,
 DVVIS NORFOLCIAE FRATREM .

Celebrat ab Vrbe discedentem . Quantus honos ei ha-
bitus Romæ ac Neapoli narratur .

O D E X V I I I .

E Rgò abitur claræ nequeunt spectacula Romæ ,
 Longo videnda seculo ,
 Nec Cumæus ager, cedant cui Theffala Tempe ,
 Primusquè flos Neapolis
 Ad paucos proferre dies? dedit Anglia çalçar ?
 I, (quandò amicorum preces

M

Non

Non retinent) i, vere nouo, Zephyrisquè benignis,
Dulcem reuise patriam.

Te cupit illa magis. Iuuenis sic vellus Iāson
Optatus aureum tulit:

Sic Ithacæ populus varium miratus Vlyfsem est,
Gaudebit vt Britannia,

Illustri morum censu ditata tuorum,
Ac mille maior artibus.

Est aliquid, meritis niti fulgentis alumai;
Ceù se efferebat Ilium

Hectoreâ virtute potens, vel Apolline Delos?
Quas grata persoluet vices.

Pro decore accepto, pro tanto nomine fuso,
Quot intulisti gentibus,

Tecum errans, tecum famâ sublimis eodem!
Quis ille? si quæsiuerit

Italus, aut Belga, aut Gallus, vel Dalmata, vel Thrax;
Quis ille mirè splendidus,

Ille hospes, formâ insignis viridiquè iuuentâ,
Cunctis refertus Gratijs?

Magnus Arundellæ sanguis, dicere Britannus:
Hæc iure non superbiat?

Qualem vidi equidem nuper: stupuere Quirites
Præter notari euntium

Voce manuquè simul; Romanus cum Pater alto
Tractauit admissum modo.

Indè alij socium proceres curruquè, domoquè,
Mensaquè iunxerunt sibi.

Carolus ante omnes, sacri pars lecta Senatûs,
Ingentis Urbani nepos,

Perpetuò affixit, studijs æqualis & annis,
Multo grauatum munere.

Talibus exemplis quid non excita laborat
Monstrare formosum tibi

Parthenope cum rege suo? Sirenes amœnis
Fecere plausum cantibus.

Nec minùs ad Thamesin notis celebrabere cycnis;
Qui fratris ædes æcolunt.

IN STEPHANVM VAIVM,
MAGNVM FAVTOREM.

STEPHANVS VAIVS,
sic per Anagramma laudatur,
AH, VT SAPIENS VSV!

ODE XIX.

Nunc Plato, Panthöides, & cætera turba sequentum,
Inambulantes arguant falsi viros.
Et superet duplex Academia iure Lycæum;
Sed iure mentis superet, ô VAI, tuæ.
Rerum ille oblitus species, erasaquæ signa
Scalpenda tabulis rursus addixit suis.
At viduas animas Samius pater in noua mittit
Orbi redemptas corpora adstricto iugo,
Furua vbi Lethæo defuncta est Atropos amne,
Vitæquæ memores eluit primæ notas.
Argumentum ingens circo tu stabis vtrique,
Obliuionem seû regit Platonicam,
Hospita seû tenues migrare in pectora vitas,
Ritu magistri, pugnat Euphorbi schola.
Nam tibi Socraticam iurarem assistere mentem, aut
Formam Solonis esse transfusam tibi.
Virtutes Anytiquæ rei, iustiquæ Solonis
Vel iudicante possides Apolline.
Alter erat monitu Diuum rectissimus, alter
Sui vocatus seculi prudentia.
Sic vates. Pia gens, versis nè crede figuris;
Sed crede quicquid de viro magno licet.
Is lapsas animo facies, ac semina rerum
Primo refixit vere pubentis genæ.
Hinc dedit Astrææ purus responsa sacerdos
Mirante Suadam legibus mixtam foro.
Tum pater Urbanus, magnum qui temperat orbem,
(Nondum ille terno stemmate umbrârat comas)

Purpureæ pars clara togæ, selegit eundem
 Causis patronum quamlibet iuuenem suis.
 Felix, qui domino potuit placuisse supremo;
 Plusquàm probatum Delphico felix caput!
 Iam propè sollerti trigesima vertitur ætas,
 Et Barberinum sustinet linguâ decus.
 Per varios casus, per mille negotia tractus,
 Romana passim quæ ministrat curia,
 Ah, VAL, vt sapiens vsu es! nil Nestoris annis
 Debes, diuquè fallis oraculum Dei.
 Grande animi precium, dignumquè laboris honorem
 Dudùm refuso Pontifex dedit sinu.
 Murice mòx etiam Tyrio - Sed mordeo labrum;
 Tacenda duplice vota sub clauis latent.

ALEXANDER MAGNVS
 APVD INFEROS;

*Designat loca in globo, & radio tractus mundi
 distinguit.*

*Scena, siuè specimen
 versus Iambicè ad Tragoediam.*

O D E XX.

TAcitè subactas orbis angusti plagas
 Peragrarè vel sic fictili in spherâ iuuat;
 Nostro eruentus Marte quæ limes soli
 Minora votis spatia, & Phœbi breues
 Vtriusque metas calle purpureo secat.
 Hic, fabulosi nobilis plectri labor,
 Cecidère Thebæ; Græcia hinc supplex suas
 Mihi strauit vltro laureas. Maior vocat
 Hinc ordo rerum, parquè Alexandro decus.
 Granicus, auspex imperi nostri, vadis
 Adhuc cruentis stragis en agrè suæ
 Monumenta volvit. Illus hinc fauces sinu

Pandit

Pandit reducto, & nobiles cœlo inferunt
 Tropæa rupes nostra. Quin oculos subis
 Arbella, Persis nomen horrendum? iuuat,
 Iuuat tueri: ferta victrici comæ,
 Date ferta, Diui, laurea. Hoc cecidit loco
 Decus Orientis, Martis Eoi timor;
 Mæcedumquæ virtus veteris augustum imperi
 Insigne Medis rapuit. Euphrates sono
 Minore ripas pulsar, & trepidas vadis
 Molitus vndas nuncium Europæ refert
 Ruentis Asiæ. Hic Armenos Tygris pater,
 Bagradasquæ Persas cladis acceptæ monent.
 Septena Nilus ostia en petijt fugâ;
 Oxusquæ, & aureis gemmifer lambens aquis
 Campos Hydaspes, cornibus fractis procûl
 Mœstum remotis occulunt terris caput.
 Ipse Indus arma pubis AEmathiæ tremit,
 Claroquæ Ganges dona victori exhibet.
 Iterumquæ longo pertinax bello Tyros
 Recursat oculis? cerno Mallorum mihi
 Pudenda quondam mœnia? Heu, regum parens
 Babylon, nouerca mihi! quæ Alexandrum mori
 Sola docuisti, gloriæ cursum inclytæ
 Morata fractis fraude Myrtoâ rotis.
 O fors maligna! cernis hoc, genitor, nefas?
 Frenator orbis, dux Alexander ducum,
 Cœli propago, gentis Arsacidum tremor,
 Dominusquæ regum, flore succisus iacet
 Viridis iuuentæ? quiquæ tot acies nigrum
 Misi sub Orcum, turgidus Baccho, Styge
 Ereboquæ mergor, triplicis opprobrium Deæ,
 Quota pars Enyûs orbis exigui vacat
 Ignara nostræ? cœlitum inuidit meis
 Inimica votis ira, sperato vnicum
 Pressisse mundum Martis inuicti iugo?

CLITVS

E. PRAERVPTO SPECV,

innitens hasta cruenta, cernit Alexandrum.

ODE XXI.

L Vcem perosi noctis æternæ lares,
 Mortisque thalami, luridum Acherontis chaos,
 Horrorque Ditis affecla, & rabidi dolor
 Comes furoris; tuque ferali horridas,
 Cocyte, tundens amne Furiarum domos,
 Vigili quietem pectori, & somnum fibris
 Cur invidetis, nec finitis altâ nigras
 Sepelire curas nocte? præcipiti furor
 Succensus cæstro feruet, ac premi negat,
 Sequè ipse pascit: tundit, ac rodit iecur
 Infomnis ales: Tantalî exerceat fitis
 Anhela fauces, quam nec vuarum parens
 Nysæa tellus reprimat, aut quicquid Maron
 Exhaustit inter turbidos Panum choros,
 Interque magno Mænadas plenas Deo.
 Remouete pinus, pallida Sororum cohors;
 Ingeritis atras lucis exosæ faces,
 Vt inulta fati vulnera, & fœdi notas
 Cernam pudoris? Sanguis, heu! semper recens
 Inerrat oculis sanguis, atque atrox hiat
 Vlcus, odioque pandit incluso viam.
 Et adhuc inertî dexterâ iniussis premis
 Hastam tyranni vulnere cruentam tuo?
 Desertor animæ, miles in epulis ferox,
 Calidusque Baccho, frigidus at vltor necis;
 Agè, pande, rumpe claustra tenebrosi specus,
 Quòque hospes agrî pectoris rapit furor,
 Gradum capeffe; sequere lymphatum impetum
 Adeste, adeste socia Tartareæ domûs,
 Adeste monstra: poscit vltices Deas

Vin-

Vindicta nimum sera. Rhadamanthus vocat.
 Vindicta ! semel aude anime, quod statuis diu.
 Quid video? vindex percussit fibras calor,
 Dubiusquè trepidis sanguis in venis micat.
 Cædis cruentum cerno carnificem meæ,
 Umbraquè tristis ora. Quid vano nouos
 Metitur orbis somnio? an superis redux
 Vescetur auris rursus? an nondum sui
 Mens gnara fari credulo pascit leues
 Errore curas, nec satis didicit mori?
 Impia, superba, sæua, detestabilis,
 Immanis umbra; lumina huc torque improba;
 Insomne monstrum. Somnia excutias licet,
 Et hæc trophæa potiùs, hæc spectes trucidis
 Monumenta dextræ: sanguis hic poscit tuos
 Inultus oculos. Cernis? agnoscis notas?
 Epulis amicos nôsse iam positis licet.
 AL. Agnosco spectrum triste. CL. Talem conspicias,
 Qualem illa fecit fortis in tenebris manus.
 Fortuna sed te dextera etiamnum beat,
 Decorequè regni splendido intexit comam;
 Effare: scepro pallidos premis lares;
 Plutone pulso, & vulgus Elysiùm tuis
 Parere iussis didicit? AL. I, disce ebrios
 Frænare tandem perfidæ linguæ sales:
 I perduellis, crapulam exhales licet.
 Non hinc procaces verba crateres cient;
 Armatuè linguam Bromius: hinc Clitum quoquè
 Semel esse fas est sobrium. CL. hos animos geris
 Etiam peremptus? mortuum vini calor
 Nondum reliquit? mortuum? ô ingens probrum!
 Subire soboles potuit Ammonis necem?
 Quis heu, quis Orci trusit ad tenebras Ioue
 Genitore cretum! AL. Reprime verborum fauces.
 Sua iura nôrunt inferi; haud solus luit
 Malè temperatæ Tantalus linguæ probra.
 Ditia malorum Tartara in fontes fati
 Fœcunda superant; sæua non frustrà rotæ

Megæra flammæ, flagra nec frustrâ intonat.

CL. Tu flagra nobis, iura tu nobis Stygis
Minitaris, improbe? iste te poscit cruor,
Tequè ad tribunal vrna Rhadamanthi vocat.

AL. Vrna Rhadamanthi menè deposcit reum?

Quis te repentè Stygius inuasit vapor?

AEquo innocentem perfidus regem cliens

Terrere sperat iudice? Tribunal volens

Adibo, & oris comprimam effræni minas.

CARMEN

SECVLARE:

Pro Ecclesiæ Romanæ incolumitate,
in anno Iobilæi M. DC. L.

*Cùm INNOCENTIVS X. Pont. Max. portam sanctam
more maiorum solenniter aperiret.*



CHRISTE, stellarumquè potens MARIA,
Par patri summo caput, & secundum,
Supplices audite bono rogati

Tempore lustri:

Quo sacræ Mosis voluère chartæ
Virginum mistas pueris cateruas
Debitam pompæ Superûm sequaçi
Promere laudem.

Viue fons, iugi scatebrâ reos qui
Tingis, & purgas, opiferquè semper
Laberis, præter nihil ire possis

Purius Vrbe.

Diua, perplexæ Cynosura vitæ,
Syrtibus deduc medijs clientes;
Si matris stellam benè te vocamus;
Si benè nauim.

Virgæ

Virgo seu dici pudibunda mavis,
 AEmulam serues sine labe mentem;
 Seu probas matrem, simili ferantur
 Lege parentes.

Quinquies quinos cupida per annos
 Cantus ut plebi, redeatque plausus,
 Roma dum terris generosa laxat
 Aetheris arcam.

Tuque non mendax aperire, IESU,
 Fixa Tarpeio tibi templa saxo,
 Et fidem æternam fore, sic maneto, &
 Frendeat Orcus.

Ruris immensas opulenta fruges
 Terra miretur: pecoris magistri
 Gaudeant longo numerare pinguem
 Ordine fœtum.

Aëris tractum, iuuenes precamur,
 Tabis immunem tuearis, ô Sol:
 Dissipa crassas, petimus puellæ, Au-
 rora, tenebras.

Ista, si vestrum est decus, ista sedes,
 Urbium princeps; Galilæa postquam
 Turba promouit, præeunte Petro,
 Signa salutis:

Missa pars vastas Orientis oras,
 Pars & Occasum fidei docere
 Tunc nouæ ritus; caput hocque iussit
 Noscere gentes:

O! iuuentuti graue pectus acri,
 O! probis mortem senibus beatam;
 Copiam lectis, & vtrumque robur
 Cedite seruis.

Quique vos ruptâ stetit antè portâ
 INNOCENS, farris coluitque flore
 Hæc agat victam rabiem luporum
 Cum grege Pastor.

Iam Palatinis operatur aris
 Indus, & fallit propè Mecha Thracem;

Iam

Iam petent Scoti veniam cruenti
Nuper, & Angli.

Iam falus, & fas, & amor, timorquē
Primus, & virtutis honos reductæ
Luçet, apportatquē Columba tuti
Fœdus Olympi.

Vltor, & spectandus hianse plagâ
CHRISTVS, elatusquē nouem chorëis,
Qui triumphali scelus omne mundi
Morte piauit,

Si videt casti iuga Vaticanæ,
Vber AENEÆ, populumquē dexter,
Prosperet gazam, solidoquē mittat
Secula cultu.

Quæquē candentem premit Exquilinum,
Linei clamore MARIA cœtus
Plaudat, & pube teneræ benignam
Commodet aurem.

His Deum votis, precibusquē Diuos
Nuncio allabi monitus, Quirites;
Nomen & CHRISTI catus, & MARIAE
Tollere vates.







A D

IAC. ALB. GHIBBESII
POET. LAUR. CAES.

LYRAM
CLARORVM VIRORVM
SYMPHONIA.



BERNARDINVS CARD. SPADA *in Lyram & Caduceum pereruditi amici nostri, D. IACOBI ALBANI GHIBBESII, veri Musagetæ huius seculi.*

 Hibbesio præstò est Phœbus, dū carmina pāngit
Aurea, Mercurius dū sine lege tonat.
Et Venus, & Natus, teneros dum ludit amores:
Et Mars, dum celebrat fortia facta ducum.
Iure liber famâ resonabit hic vndiquè; Phœbi,
Mercurij, Veneris, Martis, Amoris honor.

IOANNES LVDOVICVS DE LA CERDA *ad D. IAC. ALB. GHIBBESIVM, alterum Escurtialis conditorum.*

O D E.

A Ngle, diuinis rutilans Camcenis,
Qui solum vertis patrium, daturus

No^s

188 AD GHIBBESII LYRAM

Nomen Hispanis, vt Iberus altâ
Luce nitescat :

Quid tuo Hispani dabimus cothurno ;
Vt queant tanto resonare filo ;
Vt queant iustis resonare fibris
Carmina laudis ?

Regna supremo decoras nitore
Nostra, dum magnum celebras Philippum ;
Cuius in tectis pietas refulget
Escurialis .

Festa tu nobis tribuis beata ,
Dum canis sacris (liceat vocare)
Versibus, toto sacra quæ relucet
Fulgura cælo :

O nimis felix Iacobe, felix
Neruus, & felix nimum sonoro
Plausus è plectro ! Superas Latinas
Angle, Camœnas .

THOMAS FARNABIUS *ad Auctorem : De Parnasso Hippo-
pogryphæo eleganter descripto Vaticanum Virgilij .*

Q Vas nec Hyperborei, Rhiphæi nec iuga montis ,
Infesti nec Gryphes equis, luscivè Arimaspi
Nouerunt, gentis Graiæ mendacia, gemmas :
His Themis ornauit Graiensem, huc Gryphas, & aurum,
Transtulit huc gemmas, lauro Parnasside cincta ,
Pegaseis subuecta alis GHIBBESIA Clio,
Andini dextrè referans mysteria vatis,
Iungentur iam gryphes equis --- . *Virg. Ecl. 8.*

*Ad IAC. ALB. GHIBBESII, vtriusque Apollinis filij ;
vtramque laurum IOANNES RHODIVS, Danus .*

O D E.

A T vos, Pierides, vos facili precor
Aspirate meis ingenio modis ;

Pleno

Pleno gurgite fontem
Laxet Pegasus vngulâ .

Auersus tenui Sirius æstuet
Venæ ; mentem agitat si furor entheus ;
Non lux omine vatum
Isthâs dignior occidit .

Qui regum vario carmine gloriam
Æternam meritis condidit, inclytus

Iam GHIBBESIVS orbi,
Aulâ clarus Iberiæ ,

Quo gaudet celebri ciue Britannia ,
Lingua multiplici promere si iuuat ,

Quæ non obuia cuiuis ,
Quos mores alij ferant :

Iam Pindi vegetus, nec nouus incola ,
Qui traxit fidibus nil minus Orpheo ,

Verbis eccè reponet
Herbas charus Apollini .

Non sic illi animos composuit lyra,
Vt nunc docta manus temperat inuida

Vitæ fila Sororum ,
Dum fatis dominabitur .

Felices hederæ, laurea quas recens
Lambit, vatis honos, & medici decus :

Non cortina filebit
Quæ GHIBBESIVS approbat .

De V. Cl. IACOBO ALBANO GHIBBESIO, Britanno,
medico & poëta celeberrimo, IO: LOTTI,

EPIGRAMMA:

Fortunat Latium patrijs peregrinus ab Anglis
Harmonicâ & medicâ Delius arte Deus .

Promus enim vitæ, febribus vel præpete tactu
Indicit subitam, morte fremente, fugam :

Si melos efformat, Furias oblita Megæra
Solvitur in choreas, murmure facta Charis :

AL-

Albion albentes posthac nè iactitet Alpes :

Albion, ALBANUM nomina tolle tui.

Scilicet Oceani fulges si filia maior,

Hoc tu terrarum maximam ciue micas.

Et velut extremis in fluctibus altera Delos,

Alterius Phœbi germine iurè tumes.

In laudem Authoris, eruditissimi Domini, D. IAC. AL-
BANI GHIBBESII, sui Collegæ, FRANCISCVS MACE-
DO, Lusitanus.

O D E

Q Vis delicati pectinis arbiter
 In tot sonores carmina diuidit ?

Seruatque per omnes canendo

Pierium numeros tenorem ?

Seu dulce Sapphus, seu graue Pindari

Genus sequatur, seu fide Teia

Canter venustum, seu minaces

Stesichori cœat Camœnas.

Nunc te sonantem prouocat aureo,

Alcæe, plectro ; nunc tibi concinit

Terpander, æquus ; nunc læcessit

Te, Latij fidicen canori.

Hic ille foetus, Gallica nobilem

Quem terra fudit stirpe Britannicâ,

Subtile cui gentes acutæ

Ingenij peperere munus.

Hic, mentis altæ viuidus impetus

Per omne duxit quem genus artium,

Egitque per gentes, per vrbes

Nosse vias, documenta, mores.

Quicquid Platonis fert schola mobilis,

Seuera quicquid porticus inuehit

Zenonis, acri mente quicquid

Ille tulit Macedum magister ;

Et recta duxit quæ Samius senex

Secto bicornis tramite litteræ ;

Et quæ

Et quæ Tarenti mensor affert
 Ingenij monumenta, callet.
 Testis tuarum circulus integer
 Scientiarum. Mens tua colligit
 Quæ sparsa totus seruat orbis:
 Quin & adhuc Superos anhelas
 Erroris expers: lumina purius
 Hauris ab astris; nec magè corporis
 Morbos relegas arte Coæ,
 Quàm vitij animi mederis.
IACOBE: ciuem quem caput vrbium
 Vrbs Roma fastis inseruit suis,
 Mirata virtutes, beati
 Ingenij venerata dotes.
 In te vetustæ cernit imaginem
 Spirare gentis. Temporis aurei
 Tu reddis annos; docta surgit
 Roma tuo rediuiua vultu.
 Te Spada magni nominis, & sequax
 Aeternitatis purpureus pater,
 Clarusquè Mecænas, Latinæ
 Præsidium columequè Musæ;
 Cui lingua Tullij contigit aurea,
 Cui plena vatis Virgilij tuba,
 Cui foeta legum mens Trebatij,
 Cui rigidi grauitas Catonis;
 Doctum probauit; dum lateri suo
 Adiunxit altis sensibus intimum,
 Curis leuamen, literarum
 Participem, fociumquè plectri.
 Te Barberinis vidimus additum
 Favis canentem, mellaquè nectari
 Attemperantem; mōx Columbam
 Remigio calami sequentem,
 Quæ portat alis Pamphilium decus,
 Gaudens oliuæ germine frondeæ:
 Te nunc Alexandri beatis
 Montibus impositum videmus,

Stellas

192 AD GHIBBESI LYRAM

Stellas eientem cantibus, & comis
Interferentem carmina quereis,
Genti vetustæ Chisiorum
Vndè decus fuit, vndè fulgor ?
Non orbis arcto limite continet
Lyram sonantem latius : occupa
Nubes volatu, parte fulget
Quà rutilum meliore coelum ?
Hic siste : versus laudibus hinc tuis
Pares repones . Nos tenues vicem
Nostram dolemus, quòd minores
Vix citharam sequimur volantem ?

*Certamen Apollinis & AEsculapij de Cl. V. IACOBO
ALBANO GHIBRESIO, Gallo-Britanno, Ciue Ro:
poëta, & medico, atque oratore in paucis eximio,
dum sibi uterque illum asserit.*

IDYLLIVM

IOSEPHI MARIAE SVARESII, Episc. Vafionen.

TE super, ô IACOBE, Dij per Olympica litem
Atria certantes agitant, natusquè, parensquè :
Ambo te reperunt . Implere capacia numen
Pectora non vnum potuit : complecteris artes
Ingemo varias : virtus tua cognita tanti est .
Ille comam flauam intonsus, lauroquè reuinctus,
Atquè fides citharæ percellere doctus eburnæ,
Conferit indè manum, Latioquè ex iure prehenfat
Romanum ciuem, veteres imitando Quirites ;
Intenditquè arcum minitans, & tela coruscans
Hæc ait . Auulsas è Pindi vertice Musas
Auspice me, nonnè Ausonias traducis in arces
GHIBBESI ? placido quem natum lumine vidit
Melpomene, in cunis reliquæ fouère Sorores
Pierix, lepidasquè odas cecinère soporis
Conciliatrices . Sed, me præeunte, deditquè

Latenti fugenda, licet Virgo, vbera Pallas,
 Sæpequæ præreptum Gallæ nutricis ab vlnis
 In iuga Parnassi tulit. Hic Aganippide lymphâ
 Plena ministraui tibi pocula: munere nostro
 Flere elegis, resonare epicis, lyricisque iocari,
 Omnibus & numeris concessum est pangere versus.
 Eloquium, me authore, dedit tibi Suada Latinum;
 Sic nitida vsquæ fuit leni facundia tractu,
 Nectare sic dulci tua penna imbuta liquescit.
 Ut scitè canis! ut loqueris! non è grege vatuum es,
 Quæis ego venalis, quæis mercenaria vena,
 Qui malunt vitare famem, quàm quærere famam.
 Non è rhetoribus, vacuos quorum ille manipulos,
 Et turbam non rore inflatam risit Achæo.
 Horum opera vna dies delens rapit: at tua tersa
 Carmina perstabunt multis illustria lustris;
 Clarior & seris reuirescet gloria seclis,
 Quaquæ patet, toto diffusa vagabitur orbe.
 Tu me perge sequi; natum præferre parenti
 Dedeçet. Hic corradit opes, dum corpora curat,
 Emungitquæ hominum loculos, dum consulit agris.
 Verùm ego perpetuum, cui velificaris, honorem,
 Regum & amicitias, populi plaususquæ, sophosquæ
 Largior, æternumquæ parit mea laurea nomen.
 Dixerat: indè moræ impatiens Asclepius infit.

Parce, Pater, veniam exoro. GHIBBESIVS omni
 Iuridicâ meus est ratione: silentia cogit
 Rumpere ius causæ, licet alta, repressaquæ dudum;
 Cogit & affectus. Medicus quis doctior illo
 Corpore grassantes languenti expellere morbos,
 Et nauulo spoliare senem, qui portitor Orci
 Pallentes animas conuectat trans vada Lethes?
 Nonnè sacramentum dixit, quod sanxerat olim
 Hippocrates, certumquæ suis mandârat alumnis?
 An verò periurus erit? mea transfuga castra
 Deseret? & lepido quia gaudet ludere versu,
 Atquæ tuæ Daphnes virides confringere morfu
 Visus erit bacças, semper tua signa sequetur?

N

Et ti-

194. AD GHIBBESI LYRAM

Et tibi mancipio, nexuquè videbitur arcto
 Addicendus, Apollineis sacrandus & aris?
 Præcipiunt leges, Prior est qui tempore, iure
 Ut quoquè sit potior: liquidò fateare necesse est
 Ergò ex asse meum. Castrensis more peculi
 Vendico eum: nequit id genitor sibi fumere, sicùt
 Quod vocitant aduentitium, aut à patre profectum.
 Illum ego ditabo, nequè laurum respuet, aurum
 Præferet, vt viuunt homines; virtutibus addet
 Diuitias, prisco Stoicæ de dogmate sectæ,
 Et cumulabit opes, inuitamenta bonorum:
 Queis sine, nec magnis potietur honoribus vllus,
 Te licèt, ac omnes habeat cum Pallade Musas.
 GHIBBESI dilecte, caue (conuersus ad ipsum
 Inclamat) nè te transuersum fulgor inanis
 Gloriolæ rapiat, genmataquè vincla recusa,
 Cultores malefida suos quibus implicat aula.
 Est & honos medicis, inibi nequè præmia defunt.
 Plauditur his viuis, volitant & in ore virorum
 Fato etiam functi, fumantquè herõibus aræ.
 Cede igitur, rogo te, genitor. Subiungere plura
 Mercurius vetuit tensâ (quâ nexuit angues)
 Virgâ. Cœlicolùm ruit hinc, illincquè Senatus,
 Concilioquè habito post iurgia multa tonando
 Iupiter ascendit solium: sub pondere vectes
 A Erati tremuère, gementiaquè astra dedère
 Scintillis latè excussis quasi signa timoris:
 Mòx exporrecto sic ille enunciat ore.

Ad trutinam Themidis causas expendimus æquâ
 Lance, sed & litem librauimus, & momenta.
 At visum Superis, GHIBBESIUS vt colat ambos,
 Pœoniam alternis, Phœbiquè exerceat artes
 In solidum: nequè detrectet curare salutem
 Spadæ, qui columen Romanæ Sedis, & ipsi
 Delicium Phœbo, quoquè haud acceptior alter
 Asclepi, tibi Felsineâ legatus ab vrbe
 Dum pepulit pestem. Tantum valuère labores
 Principis, atquè pijs fauerunt numina curis?

Disi-

Dicimus hoc omnes meliori more, modoque .

Ast læti edictum iuncto velut ore probârunt
Cœlicolæ : gnatumque suum complexus Apollo
Assensit, gratesque Ioui persoluit vterque .

Iamque Deo fit par gemino GIBBESIVS vnus :
Et vates canit, & medicus subtilia vitæ
Fila vel inuitis gestit producere Parcis .

LEONIS ALLATII *in clarissimum oratorem, poetam, &*
medicum IAC. ALB. GIBBESIVM ;

I A M B I .

ΕΞάρητον γήθησε Παρνησᾶ λόφῳ ,
 Ἄσοι δ' ἐπιοσίρτηαῖ ἠδονῆς ὑπο
 Πολλῆς, γέλωτα θέντες ἐκπεπληγιδύον ,
 Ὅτ' αὐτόθ' ἦλθεν Δεπῆς μουσηγέτης
 Ὀμηροῦ, ᾧ φθόνηαῖ ἐ μόνον πέδου
 Ἡρώες, ἀλλ' οἷς ἐδὲν ἐλλείπει, πόλε
 Κρατουῦτες, ἄκρας εἶνεκεν πανδοξίας .
 Ἐκνιξε δ' αὐτοὺς ἀλλεπάλληλῳ χάρις
 Φοιτῶσα, Ταρφεῖς ἡμῶ ἐκ κοινῆς σέγης
 Πόθ' ἐσκονᾶντες ἀμφὶ Παρνησᾶθ' δεᾶ ,
 Ἡν Λέσβῳ ἐξαναῆκεν, ὃν Κάδμου πόλις,
 Ὅν Γείνατ' Ἄσπερα. Πλείονες τ' ἐπὶ τοῖσδε σιν
 Οὐς ἐκ ἀνένεποιμ', ἵνα μὴ λυπῶν λέγω.
 Ἄλλ' ἐδέμην Τάρπηαῖ, ὅτ' ἀν οἷς φίλαι
 Μοῦσαι φέρην παροτῆια μὴ ὑμνητὰς πόρον ,
 Μᾶλλον δ' ἄκερον παρβαίντα ῥητόρον λόγων
 Μύθων ἀκεσέρον τε δέμηνιοι λεῶν

N 2

Α' αψ-

Ἀπείρον, ὠρχήσαντο πρῶσιν ἄφρονας.
 Οὐπω δὲ τόσον Τέρφθεν, ὄσον ὄπωπ' ἔαν
 Ἐφθι προσηλθὼν ΑΛΒΑΝΟΣ ΓΙΒΒΗΣΙΟΣ,
 Κάρλω σέφεασι μυρίοις ἔσεμυθύθη.
 Τελασὶν δ' ἀρῖσεύεσκε, φέρτερόν ποτ' ἔτι
 Ἄλλων ὀπισημασι Ξιασὶν ἐμωρέπων,
 Τὰς οἱ παρέχεν ἀρκέσας Ἀσκληπιόδου,
 Ἐρμῆς, Ἀπόλλων Τ' ἀφνεὸν προσηθήιον.
 Μίας δ' ἐκῆνοι γήτο καρδίας πόρομοι,
 Τέχνῳ ἐπεὶ κτήσαντο παρ' πέσον μίαν.
 Ὅδ' Ἀλβανὸς πλούτησε Ξιασὴν καὶ μόνον.
 Ἐνθεν μὲν ἄλλες μενοκαρδίε βροτοί
 Ἐπώνυμον λείεσιν, ὁ δὲ Γιββήσιος
 Ὁ Ξιασαριτεὺς, Ξιασοκαρδίος κλύει,
 Λόγῳ δ' ἀπλῶ πέφυκε πᾶσι παρ' Ἰσοφοῖς.

GVILIELMI GHIBBESII Patris in Parnassum IACOBI
 ALBANI, filij sui.

EPIGRAMMA.

Monstræ canis Gryphi Scythicæquæ stupenda paludis
 Parturit hæc gemmas scilicet, ille rapit.
 Vngue tamen vacuo, nudatum & Grypha smaragdis
 Vidimus: es furti conscius ipse magis.
 Cur tamen ipse magis? Gryphisquæ, Scythisque lapillos
 Diceris hamatâ surripuisse manu.
 Creditur, argutis niteant cùm scripta figuris,
 Gemmas te numeris inseruisse tuis.

Viro

*Viro incomparabili, D. IAC. ALB. GHIBBESIO, M. D.
& in Sapientie Lyceo Romæ, rhetorum magistro,
FRANCISCVS DE SIMONIBVS, illius popularis, gratu-
latur summam tum pœtica, tum oratoriae facultatis
scientiam.*

O D E.

D Icar profanus, oro, nec posthac sacram
ALBANE, libem Castalim,
Si, te relicto, prœlia, atquè Achæicas
Cantu quadrigas suscitem.
Quæ mira priscis visa sunt ætatibus,
Et dignus intonso Deo
Labor. Tua sed amica laus nos occupet,
Quem seculum, ac cœlum super
Hominum beata tollit admiratio.
Quis eruditorum lyras
Te, te canente, temporum desideret?
Dicente, quis facundiam?
Mirandum, olores omnium varum tuo
Nisi immigrârint pectori.
O magne Pandoræ nepos! quem maximum
Urbs expetiuit Romuli,
Scientiarum liberis antistitem:
Quemquè inuidendum Cecropi
Sapiens Lyceum iam obstupescit, & tuis
Rostra intonata vocibus.
Cui vena, puri qualis electri iugo
Fluentis ex Hymettio,
Intaminatis labitur sermonibus.
Da, Musa, da recentibus
Huc ferta compta laureis; GHIBBESIVS
Currus moratur aureos.
Cuius profectò nec triumpho purpuræ
Deerunt, tuo dum, ô Spada, se
Sub literato texerit conchylio.
At nos minutis interim

N 3

Tur-

198 AD GHIBBESII LYRAM
Turbam minutam fistulis illi fat est
Sonare plaudentes; Hic est.

*De Astræa Regnante ab incomparabili pœta, D. IAG:
ALB. GHIBBESIO, lyricè cantata atquè edita sub au-
spicijs Alexandri VII. IOS. VGOLINVS admirator
hoc qualecunque elogium submittebat.*

N Vllus Alexander, te vate, requiret Homerum,
Quandò, ALBANE, tibi tantus Apollo fauet.
Regnantem canis Astræam, quo carmine terris
E cœlo Astræam vel reuocare queas.
Viuat Alexander, reduciquè in Virgine regnet,
Nec post fata queat, si canis ipse, mori.

FRANCISCVS LVCIDVS *in literarum Trismegistum*
IAC. ALB. GHIBBESIVM.

E P O S.

N On vlli, aut tandem paucis, ALBANE, dederunt
Dî dona, quæ solus tenes.
Hisquè vnus meritò nostrâ hac ætate superbis,
Minora vt inter sidera
Cynthia, vbi iunctis illuxit cornibus alba,
Syluasquè lustrat inuias.
Hinc etenim solus diuino percitus œstro
Latina condis carmina:
Quorum non vnquam te, pulcher Apollo, puderet,
Cui parer Aœnidum chorus.
Illinis atquè illinc mansuro verba papyro
A lege prorsùs libera:
Qualia Cecropidis, ipsisque Quiritibus olim
Audita constanter negem.
Quin etiam medicâ præcellis Apollinis arte,
Quam nobili illustras stylo.
Quòd si carminibus, quæis præstas, hoc quoquè iungo,
Apollo cur non sis mihi?

Per-

*Perillustri & admodum Excellenti D. D. IAC. ALB.
GHIBBESIO, Emin. Principis, Card. Spadae medico,
poetae eximio, CLAUDIVS GRATTVS perpetuus tanti
viri admirator, cum veneratione assurgit.*

O D E.

A Vdio, quales Venusina Siren,
Delio plectrum moderante, cantus
Vuidi quondam per aprica fudit
Tyburis arua.

Non ad arguta numeros Thaliae
Lætior Pindus sonuit, vel Hæmus,
Cum suas vidit citharæ sequaces
Currere fyluas.

O sales puri, niueique lusus!
O ioci digni Charitum labellis!
Tæiæ quando fidicen Camœnæ
Talia lusit?

Cæteris parcus, tibi largus vni,
GHIBBESI, plenis iubet ire riuus
Hippocrenæ laticis liquores
Magnus Apollo.

O decus vatam! nequè, te canente,
Spiritus poscam senioris æui;
Nostra nec prisca monumenta laudis
Sæcla requirent.

AEs, ebur, marmor sua fata nôrunt;
Quæ canis fastis data Vaticanis
Nulla vis carpet, memoriuè quondam
Eximet æuo.

Perge, viuaces propera coronas
Maximo Spadae, meritumque nomen:
Et diu lætis memora daturum
Otia terris.

Tum meis si quid citharæ magister
Annuat votis, fidibus sanoros

GHIBBESI cantus sequar, & beata

Tempora Spadae

Concinam. Veris populus Quirini

Plausibus reddet numeros, dataeque

Sæpius laudes recinet iocosae

Filia vocis.

Interim si quid vacuus sub umbrâ

GHIBBESI, ludes, agè, dic triumphos

Gallicæ gentis, neque vota falle

Vatis amici.

*Pœsi ac medicinae GHIBBESIANAE applaudit THOMAS
BARTOLINVS, Casp. F.*

M Vsa diù dubiam traxit de corpore mentem,
Frigida cùm tristes iungeret illa manus.

Membrorum visi nimium languere calores,

Ingenijque simul deficientis amor.

Iamque nihil viventis habens decessit Olympo,

Vt medicas infra sollicitaret opes.

Visa per anfractus tenerum deflectere gressum

GHIBBESIO tanti nominis, arte Deo.

Huic soli confessa viam submittit habenas,

Atque salutiferi numinis instar habet.

Quod nequijt cœlum, victâ tellure, medetur

Inclyta GHIBBESII mensque manusque mei.

Vt modò mens redeat, rigidaque iniuria famæ,

Non opus alterius sollicitare fidem.

Det mihi, quod tantis superest virtutibus, vnâ

Exiguam facili reddat honore decus.

GHIBBESIVS placidos spargens cum lumine vultus

Annuerat voris, credula Musa, tuis.

Ad mentem corpus, moriturae nuncia famæ,

Ingenio extinctas suscitât ille faces.

Scilicèt ad trepidos lassati corporis artus,

Non satis expertas exhibuisse manus.

Æthereos simul, & cognati sideris æstus,

Et Phœbo exemptas hic moderatur opes.

Hoc

Hoc duce, Phœbæi cessauit carminis omen,
 Et lyra mutato sidere victa sonat.
 Numina dum terris, & egenti lumine Musæ
 Aeternum reddis, Suspiciende, iubar.
 Musa tuis meritis, terra est virtute, polusquæ;
 Ingenio credas cuncta minora tuo.

Τέτιξ μὲν τέτιγι φίλῳ.

IAC. ALB. GHIBBESIO, alteri Romana, dn etiam The-
 banae lyrae fidicini atque columini, IANVS NICIVS
 ERYTHRAEVS hoc amoris & honoris monumentum.

O D E.

Sunt & deserto vatibus inuicem
 Vates amoris. Scimus, ut æmulo
 Latôis offulsura fratri
 Sæpè rubet maculis & auro.
 Virtutis hoc est, non leuis ingens,
 Famæquæ ab vno dissimilis iugo:
 Dant fata paucis inuidendam,
 Nec nisi Dîs, meruisse laurum.
 Stetere magno sic labor Herculi
 Alpina quondam vellera; post, tibi
 Per Vaia deduxisse fila
 Non humiles dederunt Camœnæ,
 Doctum elocurâ Pallade Thespijs
 Hæc sponte lucis: Surgite candidi
 Dirces alumni, ne sub vrnâ
 Semper Echionâ iacentem
 Plorate cycnum. Pindarus entheis
 Exultat vndis alter, & omnium
 Par lingua Nympharum sepultas
 Excitat ad noua plectra Thebas:
 Nec tu sonantem victor ad Ausidum
 Non & Latinâ GHIBBESII lyra
 Gaudebis, vndantemquæ, Flacce,
 Iam Thamesi propiore Tibrim

Mira-

Mirabere alto stare silentio :
 Læuus Polonis Vistula fontibus
 Exhibit ; haud illi per omnes
 Degenerat minor vnda ripas .
 Quòd si fugaces Mercurio est opus
 Tardare manes, èn cui virgula
 Decedat, Aesclepîquè rursùm
 Digna humeris volitare palla .

*De summo dictatore interioris literaturæ , Cl. V. IAC.
 ALB. GHIBBESIO , Poëta & Medico , cunctis bonis
 artibus ornatissimo, IAC. PHILIPPI CAMOLAE syn-
 cerum iudicium .*

GHIBBESIO tangente lyram, quis concinat ? vnus
 Ipse canit fidibus carmina digna suis .
 Parnassi arrident cui syluæ & numina : risit
 Aurea cui nostri Quercus auita Iouis .
 Ore tonat, dum verba facit : dùm concinit, ipsùm
 Credimus hîc Phœbum sollicitare fides .
 Sentio, dum loquitur, tonitru mea corda cieri :
 Scilicèt Arpini fulmen in ore gerit .
 Nunc vigil insudat, Mediciquè exemplar adornat ;
 Et sibi Parçarum vendicat imperium .
 Nomina, dum cecinit, Lethæis abstulit vndis ;
 Corpora nunc letho subtrahit arte pari .
 Praterèa mores multorum vidit, & vrbes,
 Et secum ex illis optima quæque tulit .
 Arte characteres mirâ, si postulet vsus,
 Pingit fidereis æmula signa notis .
 Extremis etiam famâ celebratur in oris ;
 Nomen & inuidiâ maius vbiquè gerit .
 Si patriam, & patrem, & pro religione paternas
 Vltrò amisit opes, restat auita fides .
 Thesaurosquè alios animi penetralibus abdit,
 Lædere quos vnquàm fors inimica nequit .
 Diuitias, rate quas fractâ vorat vnda, quid opret ?
 Quas secum in littus deferat, intùs habet .

Amif-

Amiſſis cūr ergò opibus triſteretur auitis,
 Diues & ingenio, diues & eloquio?
 Purpurei Spadae ternos quoquē repperit Enſes,
 Quorum ope ad officium fata inimica trahit.

IOSEPHVS SILOS *ad Pindarum rediuuium*, V. Cl. IACO-
 COBVM ALBANVM GHIBBESIVM, *in Roſſap. utriuſ-*
que Linguae Prof.

O D E.

QVo te volucris Pegafus vngulâ,
 ALBANE, pennâ quò rapit alite?
 Sublimiori iam volatu
 Pieriâ petis aſtra fronte.
 Is trans Olympum ſcilicèt arduum,
 Et laureatæ culmina Phocidos,
 Cœlumquē ſcandis celſum, & addis
 Sidereo noua plectra cycno.
 Hinc mentis ardor plus calet igneis
 Immixtus aſtris; & furor entheus
 Spirat quid altum, concitatquē
 Ingenium propiore flammâ.
 Præclara quiſquis facta, vel inelyta
 Proſtare ſeculis nomina peruelit,
 Laudesquē ferri, quâ remotos
 Verberat Oceanus Britannos;
 Supplex ad aram percelebrem tuæ
 Muſæ vapore thure litauerit:
 Et nuncupatis ritè votis,
 Te, altiſonamquē tuam Cancenam
 Imploret. Hymnis vecta curulibus
 Sic magna virtus æquora tranſuolet;
 Sic fama certet multilinguis
 Solis equos superare curſu.
 Quæ gens Latinis diſſita finibus,
 Seu Cancer vrat ſidere torrido,
 Seu Parthæſis diuexet Vrſa,
 Quem lituo celebras diſerto,

Igno-

Ignorat? aut quem non calor æmulus

Vulgi supremo miscuit æthere,

Si tu canas bellè, & decoro

Dixeris ingenio merentem?

O, maeste grandi pectine: tempora

Si te tulissent aurea; si tuum

Vocale ebur, plectrumquè prisco

Nobile personuisset ævo;

Quas Smyrna lauros occupat innubas,

Quas clara Dirce, doctaque Daunia,

Dictante Phœbo, vox sororum

Aönidum tibi destinâisset.

Quæ fusa chartis nectaris Attici,

Et diues auro copia! Pindaro

Tu maior acri, doctiorquè

Mæonide, nitidoquè Flæcco.

Illustre pergas tangere barbiton,

Mulcere & aures carmine Principum:

Externa dum pangis, videris

Ipse tuas numerare laudes.

*Summi viri I. A. GHIBBESII raras corporis & animi
dotes IOANNES VESLINGIVS Profess. Patau. eiusq;
in medicina Promotor Germano, id est, candido mentis
affectu & iudicio suspicit ac veneratur.*

G Eryonem terno finxerunt corpore vates,
Et magnâ vastum laude tulere ducem.

At maiora sequi mentem facer impulit ardor,

Annuat & votis doctus Apollo meis.

Musaquè tergeninis redimito tempora fertis

Audet ter magno plaudere GHIBBESIO.

Gallia quem coluit, dedit Anglia, & Italus ornat,

Cuius & Hispano personat axe decus.

Non stupet illa virum, cui triplex pectus anhelat,

Ast vnâ triplicem mente latere Deum.

Iam te Pierides lauro cinxere Sorores;

Vinbrat diæ tuum nunc Medicina caput.

Stem

Stemmaquè fers Sophiæ . Perfectus redditur ordo ;
 Clario hac Clario cerneris arte Deo .

Tergeminum reddunt virtus quoquè, patria, sanguis ;
 Sic tua perfectum gloria scandit iter .

*PALLAS Anglicana Audomari hospitata Cl. V. alumno
 quondam suo , D. IAC. ALB. GHIBBESIO , M. D. ac
 in Ro: Sapientia politioris literaturæ Professori .
 Collegij Anglorum Audomarenfis nomine .*

O D E .

Vigilnè cerno prodigium insolens ?
 An fraudulentâ noctis imagine ,
 Fallace quæ ramo refixa
 Vana ciet simulacra, ludor ?

Quæ nostra miro lumina territant ,
 Quæ monstra visu è quæ species viri ,
 Formaquè, mutatoquè vultu ,
 Aligeros imitatur artus ?

En iam biformi plumea corpore
 Pellis residit ; (Iupiter hanc amet
 Ledæus :) expanduntur albæ
 Brachia per, digitosquè pennæ .

Agnosco : sacrum versus in alitem
 GHIBBESIANÆ splendor adoreæ ,
 Meusquè, Musarumquè foetus
 Aërijs petit astra bigis .

Formosiori non quatiat pede
 Stellata Diuûm tecta Diespiter :
 Neposûè Atlantæus liquentes
 Tranet agros meliore gressu .

I Dædaléo ocyor Icaro ,
 Non vſitatâ nec tenui vola
 Pennâ per auras, quem Camcænæ
 Axe vehunt metuente frangi ;

Stipata doctis Suada Sororibus
 Te semper anteit : te Charites amant ;

Lauro

Lauto allaborantes rosata

Virgineis decorare fertis,

I, celsa pennis non homini datis,

Expertus auras, sidera vertice

Feri triumphali, viasque

Icariâ vetitas ruinâ

Perrumpe velox; nec vitreo tamen

Ponto daturus nomina, at aureis

Præstantis inferturus astris

Eximium ingenij trophæum.

I, perge Romæ principis urbium,

Spes perge gentis tertia Romulæ,

Cui Phœbus immortale nomen

Aônio pariet triumpho.

Tu laureatus Mercurialisium

Ductor virosum; nobilis artium

Magister; inclytumque quondam

Castaliæ columen palæstræ.

Consultus almæ tu Sapientiæ

Phœbæa dices iura Quiritibus:

Priscumque Parnassi decorem

Palladiâ renouabis arte.

Minace quando percitus impetu

Excelsa Rostris culmina verberas,

Exuberantis vitreumque

Ingenij fluum recludis;

Credent diserto pectore melleas

Duxisse venas eloquij Deam,

Cœloque delapsam Mineruam

Nestoreas animâsse voces.

Ceû concitatus labitur arduo

De monte torrens, Solis vbi niues

Diffoluit æstus, GHIBBESINA

Nectareo ruit ore Suada.

Sic docta pleno flumina gurgite

Deuoluis; ipsi sic numeris Polo

Non erubescendis habenas

Attonitæ moderaris aulae.

Quod

Quòd si canoro blandiùs Orpheo
 Audita saxis barbita temperas ;
 Dicenda si Musis trophæa
 Pindarico resonas cothurno ;
 Amicæ certant tempora nobilis
 Phœbæa frontis præmia cingere ,
 Promptæque vati laureatas
 Pegasides properant coronas .
 Romanus alto digna silentio
 Miratur orbis carmina : dum ducum
 Pugnas, superborumque claros
 Romulidùm recinis triumphos .
 Quin ipsa mòx septemgeminos tuis
 Regina mundi carminibus stupens
 Colles, triumphantes ouanti
 Roma aquilas tibi subdit vni .
 Felice tantæ mentis acumine ,
 Secunde, quid non efficiet tua
 Alcæe, virtus ; cui noueni
 Turba chori famulatur omnis ?
 O, qui beatis sub penetralibus
 GHIBBESIANI liminis hauriat
 AEstum repressuros liquores ,
 Ambrosiâ pretiosiores :
 Vinâ rigantem plenius aureâ
 Fœcunda vatum pectora Pindarum
 Spernat, nec Hyblæos requirat
 Mœoniæ latices Thalææ .

IOS. MAR. SVARESIVS *iterùm de eodem I. A. GHIB-*
BESIO denunciato, per LEOPOLDI Imperatoris di-
ploma & monile, Poëta Laureato Cesareo, quod misit
ad eum Romam magnificentissimè .

A Sfertus meritò Romæ, raptusque Britannis,
 GHIBBESI, Latæ pompa decusque lyre ;
 Lauream missa tibi LEOPOLDO à Cæsare in aurum
 Vertitur, idcirco nec pretiosa magis .

Maius

Maius enim precium de Phœbo, & Cæsare sumit :
Est quod conciliant fulua metalla minus .

**IACOBO ALBANO GHIBBESIO, in Ro: Sapiaentia Eloq;
Professori, viriusque artis Apollinea, Poëtica Medi-
caque scientissimo, CAROLVS BOVIVS clari perenni-
tatem nominis auguratur .**

O D E .

ALBANE, viues : ilia tristibus
Rumpantur Orci terra sororibus :
Albane, quâ laudis decorâ
Parte cupis meliore, viues .
Si te sereno lapsus ab æthere
Vtroque Phœbus numine consecrat ;
Tibiquè docti nôsse plectri
Dat numeros, numerumquè venæ :
Obliviosi non tua desidem
Sulcabit vndam gloria fluminis ;
Te dulcis herõum disertis
Inferet Vranie cateruis .
Nec te, cientem quem simili chelym
Audiuit ictu natus ad Aufidum ,
Consorte sublimem recuset
Tollere per populos quadrigâ .
Caliginosæ sub nigra Tartara ,
Canendo noctis rumpe silentia :
Licebit omnes annuente
Cum Domino spoliare manes .
Seù tu labantùm fata Machaõnis
Manu, & repostis artibus erigis ,
Non te renidens AEsculapî
Diffimulet genitor nepotem .
Sic Spada clarus murice, clarior
At mente retur : qui tibi credidit
Sese medenti, tequè tantæ
Præsidium iubet esse vitæ .

At

At ille viuax viribus integris,
 Florentiquè vincat secula Nestoris,
 Mercede te non otiosâ
 Munificus tamen inter aulæ
 Refert honestos, & fouet affectas.
 Dulce & decorum est ingenio frui
 Vatum, & seueras temperatis
 Carminibus releuare curas.
 Hoc eruditi tu tibi consulis
 ALBANE, censu diuite pectoris,
 Et patriâ exul perduelli,
 Ciuis vbiquè futurus, Anglo
 Cedens, tuorum iura penarium
 Remittis vltro. Te, tui & ingenî
 Tecum feraces extulisti,
 Ingenuâ & colis arte campos.
 Cælum procellis sæuiat: aspero
 Tellus Tonanti non tua supplicat:
 Nec sortis vllò, temporumue
 Mentis opes quatiuntur ictu.
 Nec te profanæ dira pecuniæ
 Cupido torquet; pectore sobrio
 Sed pauca poscens, vota rides
 Mœonij auriculasquè regis.
 Vrna indifertum tantula diuitem
 Totum coërcet, nec sinit egredi:
 Inscribe nomen; sed decorum
 Illud onyx, vel iaspis arte
 Cælatus omni non tamen efficit:
 Membrana simplex te poterit, nigro
 Et tincta succo, sed diserto
 Sed calidum sapiente Phœbum,
 Orbisquè, & æui transuehere vltimos
 Claro sonantem murmure terminos.
 ALBANE, viues; hoc tuis, hoc
 Posteritas meritis reponet.



Εἰς πολυθρύλλιτον ἄνδρα, τὸν ΙΑΚΩΒΟΝ
 ΑΛΒΑΝΟΝ ΓΕΙΒΕΣΙΟΝ, χρυσῆ Σεραῖ
 ᾧ δὲ ΛΕΟΠΟΛΔΟΥ τῆ Ρωμαίων αὐτο-
 κράτορος κεκοσμημένον, ἀρετῆς ἕνεκα καὶ
 ποιήσεως.

SIMONIS PORCII *ad maximum Virum*, D. IACOBVM
 ALBANVM GHIBBESIVM, *Laureatum et Torqua-*
tum Poëtam à Casare Augusto nuper factum.

EPIGRAMMA.

Στέμμασιν ἀφάρτοις κεφαλὴν Σὴν σέψου
 Ἀπόλλων

Πρῶτον αἰδομένης, νυῦ Λεόπολδος ἀναξ.
 Ἀλλά γε Μισάων χαρίτας μόνον ᾧ πασε κείνος
 Κοσμήσας ψυχὴν, ἔτος ἔδωκε βίον.
 Σῆς ἀρετῆς ζαθέης δῶκεν γὰρ Σύμβολα Γαίῃ
 Ὀλβια καὶ πμῆς, ἠδὲ φιλοφροσύνης.
 Γειβέσιος τίνων μεγάλως κοσμήτορας ὄντως
 Φοῖβον εἴης δόξης, καὶ Λεόπολδον ἔχῃ.

IOANNES DODELIVS *Suevus* D. IACOBO ALBANO
 GHIBBESIO *nostri seculi Lyricorum auctor.*

O D E.

Quid iam Pimpla virens, quid sibi vendicet
 Parnassus proprium? quid gracilis, precor,
 Crasso purius aër,
 Aut quid Sol oriens queat

Prae-

Præferre occiduo? En, fera Britannia
 Fert quicquid Latium, quicquid Apulia
 Et doctæ cecinere
 Thebæ melliflua lyrâ
 Longo est veridicus tempore creditus
 Flaccus, Pindaricum non imitabile
 Lapsuro onine vulgans
 Carmen: GIBBESII tamèn
 Nunc postquam intonuit barbitos enthea,
 Quod dixit, reuocat; quemquæ sibi parem,
 Miraturquæ gemellum,
 Anceps tollit, & æmulus,
 Mixto cum trepidâ lætitiâ metu:
 Nam clarè videt haud currere se amplius
 Solum, dùm sua sentit
 Passu tam valido premi
 Retrò signa pedum. Deindè periculum
 Victores geminant astrologi noui
 Præcurrente Tychone, &
 Palmam Christiadûm nouus
 Priscis eripiens gymnasijs Plato,
 Coelum quem supero numine præditum
 Non produxit Aquinum.
 Sic dùm GIBBESIVS mouet
 Plectro nunc Latio bella noua, & stylo
 Tam arguto ferit, & mulcet acumine,
 Tam & sermone Latino,
 Quem vel Tullius ambiat:
 Flacci Cæsareo munere splendidus
 Se iungit lateri, & Delphici Apollinis
 Voto, iura poëtis
 Dat Parnassia cæteris.

PVRPVRA PRINCIPIVM LAVDIS, DET PVR-
 PVRA FINEM.

Cl. V. IACOBO ALBANO GHIBBESIO, *poëta, physico-
quë eruditissimo, ob Carminum libellum, FRAN-
CISCVS ANGELVS CARDINALIS RAPACCIOLVS
gratulatur.*

Q Venam Musa tibi curuandas carpere lauros
(Vates) debet & quælibet, atquë simul .
Communis gratusquë fauor te ritè coronat ,
Carmine quandò tuo quamque nitere iubes .
Quæque tuum iactat se nobilitasse libellum :
Par est à cunctis nunc tibi ferta dari .
Ipse suum donet per te magè clarus Apollo ,
Ut cingat dignas æquâ corona comas .
Patris ad exemplum nudabit tempora Natus ,
Cùm meritò Asclepi laude superbus oues .



DIPLOMA

CAESAREVM:

Per quod à LEOPOLDO I. Imp. semper Augusto, IACOBUS ALBANVS GHIBBESIVS, Pœta Laureatus constitutus & enunciatus fuit.



LEOPOLDVS diuinâ fauente clementiâ Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Vngariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, &c. Rex: Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Lucemburgi, ac Superioris & Inferioris Silesiæ, Vvittenbergæ & Teckæ; Princeps Sueuiæ; Marchio Sacri Romani Imperij, Burgouiæ, Morauïæ, superioris & inferioris Lufatiæ; Comes Habsburgi, Tyrolis, Feretis, Kyburgi, & Goritiæ; Landgrauius Alsatiæ; Dominus Marchiæ Sclauonicæ, Portus Naõnis & Salinarum. Honorabili, docto, syncerè Nobis dilecto IACOBO ALBANO GHIBBESIO gratiam Nostram Cæsaream & omne bonum. Etsi virtus, quam certissima plerumquè præmia, honor videlicèt atque amplitudo, tanquàm indiuiduæ comites excipere solent, seipsa contenta, alienæ laudis adminiculo non indigeat, sit tamen, vt, cùm magnorum illa Principum, Regum, atquè Imperatorum elogia decoratur, hoc se quoquè conspectiorem reddat, alijsquè ad simile virtutis brauium laudatissimis actionibus consequendum, acriores stimulos addat. Vndè & Nos ipsos Dei Opt. Max. nutu & benignitate ad hoc sublime Imperatorij nostri Solij fastigium, eâ cumprimis ratione erectos esse existimamus, vt velût ex eminenti quadam Orbis speculâ, mortalium actiones intuentes, eos potissimum, qui & vitæ morumquè probitate, ac literarum optimarumquè artium scientiâ & eruditione cæteros antecellunt,

& seù de Nobis, Sacroquè Romano Imperio, seù de Inclytâ Domo Nostrâ Austriacâ quoquo modo benè mereri student, nostrâ autoritate atquè gratiâ non solùm fouere complectiquè, verùm etiam illorum naturæ animiquè dotes elogio nostro probare, & ob easdem illos ipsos meritis præmijs honoribusquè afficere debeamus, quò nimirùm & alij similiter ad optima quæque virtutum studia capessenda inflammentur ardentius, & ad inseruiendum Nobis Reiquè publicæ tantò incitatiores accedant, quantò magis vident vniuscuiusque virtuti condigna præmia & ornamentorum gradus apud Nos propositos esse & constitutos. Quandò itaquè multis fide dignis ac præclaris testimonijs edocti, benignè considerauimus te IACOBVM ALBANVM GHIBESIUM, patriâ Anglum, à primis ætatis tuæ temporibus nil magis curæ habuisse, quàm vt animum tuum, omnis recti boniquè flagrantem, non solùm vitæ morumquè integritate, ac alijs laudabilibus virtutibus, sed etiâ bonarum præsertim literarum studijs, aliarumquè rerum vsu & experienciâ excoleres: Tequè hunc laudabilis intentionis tuæ finem in eo vel maximè consecutum esse, quòd, cum post multorum annorum operam tam humanioribus, quàm altioribus literis indefesso labore impensam, animum tuum Poëtices studio peculiari amore & industriâ addixisses, & in eo præstantissimum ingenium tuum eximiâ cum perfectione excoluisses; varijs pulcherrimorum carminum generibus in lucem editis, ac præsertim illis Compositionibus tuis Poëticis, quas Nostro & Dilectissimæ Coniugis nostræ, Augustissimæ Imperatricis, Nomini nuper ad Nuptiarum nostrarum festiuitatem inscripsisti, ac consecrasti; quasquè Nos summâ cum satisfactione & delectatione legimus, eam egregiam facundiam, nobilitatem, doctrinæ ac ingenij iudicijquè præstantiam spectandam dederis, vt communi omnium, qui præfatas Compositiones tuas poëticas Nobiscû legerunt, voto à Nobis dignus habitus fueris, quem inter præcipuos & famâ celebres Poëtas numeraremus: Prætereâ, te etiam eximiam fidem ac deuotionem erga Inclytam Domum nostram Austriacam, nec non incensum simul rerum no-

stra-

strarum, ac boni publici promouendarum studium, exemplo maiorum, ac Consanguineorum tuorum, ex quibus Cognatus quondam tuus Ioannes Tailer, Serenissimi Regis Angliæ Residentem in Aulâ nostrâ Cæsareâ ternis vicibus laudabiliter egit: Colonellus verò Guilielmus, frater tuus natu minor, in bello Pragensi pro seruitio & defensione Sacri Imperij vitam reliquit, luculenter demonstrâsse; ita vt rem hisce insignibus meritis tuis omnino debitam Nos facere arbitrati simus, si te specialibus etiam, quæ tuæ virtuti, ac literarum scientiæ experientiaequè conuenire videntur, honoris titulis, insignibus, ac prærogatiuis ornaremus decoraremusquè. Motu itaque proprio, ex certâ nostrâ scientiâ, animoque benè deliberto, te prædictum IACOBVM ALBANVM GHIBBESIVM, Poëtam Laureatum Cæsareum benignè declarauimus, deputauimus, atque constituimus: Prouti tenore præsentium declaramus, deputamus, atque constituimus: Decernentes, & præsentis Nostro Cæsareo Edicto firmiter statuentes, quod in omnibus Ciuitatibus, terris & locis Sacri Romani Imperij, & vbilibet terrarum, omnes tam legendi, docendi, Cathedram ascendendi, explicandi, quàm alios quoscunque huic Poëticæ dignitati conuenientes actus facere, & exercere, nec non omnibus & singulis alijs gaudere & vti Priuilegijs, prærogatiuis, exemptionibus, libertatibus, concessionibus, honoribus, præeminentijs, fauoribus, Indultis & gratijs, ac alijs quibuscunque gaudere, potiri, vti ac frui possis & valeas, quibus cæteri Poëtae Laureati, qui in Academiâ & Vniuersitate Viennensi, Parisiensi, Ticinensi, Bononiensi, Patauinâ, Perusensi, Coloniensi, Papiensi, Pisanâ, Senensi, Ingolstadiensi, & quolibet alio publico & priuilegiato Gymnasio promoti, vel etiam à Nobis, ac Diuis Romanorum Imperatoribus ac Regibus insigniti fuerint, seû aliter quocunque modo talia Insignia acceperint, gaudent, potiuntur, vtuntur, & fruuntur, quomodolibet, consuetudine vel de iure: Harum testimonio literarum manu Nostrâ subscriptarum, & Sigillo Nostro Cæsareo munitarum.

Datum in Arce Nostrâ Laxenburgi, die secundâ Mensis

116 AD GHIBBESII LYRAM
fis Maij, Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Sexagesi-
mo Septimo, Regnorum Nostrorum Romani nono, Vn-
garici duodecimo, Bohemici verò vndecimo.

LEOPOLDVS.

Ad Mandatum

SACRAE CAESARAE MAIESTATIS
proprium;

Christophorus Abele D. L. &c.

Registe.

Hermannus de Berlinghoff, *mai. prop.*

Em

Eminentissimi Principis, Card. SPADAB litera commendatitia IACOBO ALBANO GHIBBESIO data ad FRANCISCVM Atestinum, Sereniss. Mutina Ducem.

CVM mihi renunciatum esset Celsitudinem tuam in eo totam occupari, virum vt aliquem literatum, linguarumquè complurium ac virtutum scientem reperiat, qui filiorum principum alteri tradat disciplinas, simulquè præsit Academiae variarum facultatum ad conseruationem & augmentum studiorum etigendæ, in quibus nobilissimæ & ingeniosissimæ iuuentutis desudet isthïc industria; ego quemadmodum in tam generoso consilio Atestinæ domus idæam atquè consuetudinem, quæ nullo non tempore, faurix & adiutrix exitit bonarum artium, facile perspexi, sic indubitanter fore iudicaui, æqui boniquè pro suâ benignitate vt faceret, si testimonium IACOBO ALBANO GHIBBESIO, homini honesto & nobili, talium ornamentorum impertirem, quem octo ipsos annos mecum familiariter doni meæ versantem penitùs notum habere debui. Is præter Anglicum & Gallicanum sermonem, vtrumque natiuum, callet scribitquè disertè linguam Græcam, & Italicam, & Hispaniensem: cumquè humanioribus sit literis apprimè eruditus, tum verò excolit præcipuè Latinam poësin, maximè lyricam, elegantia, integritate, & formâ dicendi non communi: nec scribit modò, vt dictum, verum etiam, siquid ad rem hoc pertinet, ducit & pingit calamo characteres diuersi generis, & contortione mutationequè mirabili figurarum, quasi colore quodam, venustissimè distinguit. Latè per orbem vagatus est, regiaquè ferè omnes totius Europæ maximas perlustrauit. Verecundum animi ingenium possidet, quietum, simplex, & modestum. Artem medicinæ deniquè, tam eius, quæ in contemplatione, quàm quæ posita est in vsu, penitùs introspectit. Ita vt qualitates hæ singulæ cum grato aspectu præsentiaquè coniuictæ acceptissimum eum, summoquè in honore reddant ijs, queis vel cognoscere, vel conuenire hominem suè in cœtibus publicis, suè

suè

siuè in priuatis congressionibus accidit . Proindè Serenitati tuæ, vbi aditum illi ad aulam patefecerit , spero testificationis huius veritatem quamprimùm manifestam futuram . Nihil igitur addo ampliùs , vt qui aliud non specto, nisi vt de omnibus rebus certior facta ad vtilitatis propriæ fructum vtatur notitiâ ; atquè vnâ recognoscat in meis intimis sensibus erga nomen & meritum Estense perpetuam atquè constantem voluntatem . Romæ , Idib. Martijs, 1653.

Ornatissimo Viro, D. IAC. ALB. GHIBBESIO, *Med. D.*
FAMIANVS STRADA, S. P. D.

NAe tu liberâsti prorsùs egregiè fidem tuam. Hodæporicon pollicitus, vt primùm descripsisses, vnâquè Oden & alteram, non illo solùm beasti me , sed harum etiam fasciculo cumulâsti . Quid de epistolâ dicam comite, quàm styli veteris & elegantix, tam eximix plenâ cuiusdam in nos propensionis , officijquè & laudis illustribus notis ? Nam de Prolusionibus nostris quòd tantoperè prædicas , mequè ἀμφοτέρων (sic enim loqueris) in oratoriâ & poeticâ facultate esse dicis , voce tu quidem præis mihi præco non incallidus, quæ de tuis ego scriptis proclamare deberem . Centimanum te appella-uerim potiùs : ità epicis, melicis, elegiacis, ità summo, medio, infimo præstas genere dicendi . Exercitatione illâ rhetoricâ in Xauerium nostrum, quam proximè mihi, cùm vnâ fuimus, ostendisti, quid obsecro potuit aut vnquam dici pictius, aut ornatius institui, aut excogitari sublimius? Comprehendo te nunc totum igitur, mi GHIBBESI, exceptis Græcis tuis, quâ in linguâ narraris famâ minimè surdâ in omnem æquè partem excellere . Quòd scribis expectare te meum cum potestate censoriâ iudicium de his, quæ misisti, vt hæc partes arrogare mihi neutiquàm possum, sic humanitatem ac modestiam planè demirari debeo tuam . Quarè lectum relectumquè cum voluptate semper summâ tuum Iter, quo veterum ad laudem & gloriam equis (quod aiunt) albis videris contem-
dere,

dere, remitto integrum, ut accepi; posteaquam versum illum, *Mentio sed quoniam*, qui antecederat istum, *Magnanimus cur non proceres*, quem dixeram coram historicum nimis esse, comperi, ut superuacuum, abs te omis- sum. Odas verò quinque vario carmine confectas bonâ tuâ veniâ retinere volo, quasi totidem Horatianæ lyræ cantilenas. Ut optimo sanè iurè, meritoquè præconio Musam tuam extulerit in Hispaniâ Cerda noster, Farnabius in Britanniâ, Critici nobiles: post quos haud equidem video cuius Momi maledicum dentem extimescas. His ego laudatoribus accederem libens eo in genere buccinator, sic præsertim impensè rogatus à teipso, nisi mihi iam effæto omne diù cum Apolline intercidisset commercium. Vale. At ô me ingratum, propè immemorem, summi beneficij tui! Sumptis, quemadmodùm præceperas, catapotijs, mirum quàm subito remisit renum dolor. Hanc adeò habeo gratiam tibi, utinam liceat aliquandò referre. Pluris faciam medicinam istam, quàm Homeri nepenthes. E Collegio Romano, IV. Kalen. Nouembr. M. DC. XLVIII.

*V. ro doctissimo, IAC. ALB. GHIBBESIO, Anglo,
viatori polytropo & polyglossa,*

ATHANASIVS KIRCHERVS S. D.

VIdi opus tuum poëticum verè aureum, opus elegans, Aonijsquè delicijs ità confertum, ut non fallar, si in eo concinnando & Musas & Charitas, & quicquid tandem Parnassus gratiarū habet, allaborâsse dixerim. Admiratus sum cum primis in eo *παισοφίαν καὶ πολυμάθειαν*, quâ vberi & plenâ amœnitatis venâ legentium animos non allicis duntaxat, sed Heracleoticâ quadam catenâ ita vincis, ut omnium tibi animos deuincire videaris. Ut proindè haud immeritò nominis tui celebritati sequens tetraſtichon pulchrè adaptandum censuerim. Vale, Romæ, ex Museo meo, Kal. Maij, M. DC. LVI.

IN

IN EFFIGIEM
IACOBI ALBANI GHIBBESII,
BRITANNI,

poëtarum huius æui faciliè principis .

MOres & linguas doctum, qui viderit oras
Multorum, meritò postera fama canet.
Tot pro GHIBBESIO certabunt regna, quot vrbes
Ciuem Mœoniden afferuère suum .

FINIS.



DECLARATIO,
Si quem forsè attinuerit id scire.

Libri iam prælo parati, qui post hunc *Primum Tomum Lyricorum* luci, Deo volente, dabuntur propedièm ab Auctore.

V E R S V.

TOMVS II. Carminum pars altera; continens *Heròica, Elegiaca, Græca omnis generis, Pseudolyrica, Epigrammata, Iconas, cum libello de arte medica.*

ORATIONE SOLVTA.

TOM. III. & IV. Orationum & Præfationum ad quinquaginta, *itidem ut Carminum, Pars duplex.*

TOM. V. Epistolarum Selectarum Tres Centuriæ *totidem nominibus scriptæ; Bernardini Card. Spadae, in Vrbe: Virgilij March. Maluetij, Londini: proprio, ubique gentium. Cum non paucis etiam Græcè exaratis.*

TOM. VI. De Medico libri III. *ad imitationem Ciceronis de Oratore, in disputatione & dialogo.*

TOM. VII. Pinacotheca Spadia, *sive Pontificum Romanorum Series, rogatu Cardinalis Spadae, ad ornatum emblematici sui Xysti: vita cuiusque Pontificis intra ducentesimam & quinquagesimam litteram brevissimè comprehensa. Vndè cum Vitæ eiusdem Eminentiss. Principis, & propria sua, benè longis.*

MISCELLANEA:

Sunt insuper Opera alia tum his, tum varijs præterea linguis elucubrata, partim absoluta, partim adhuc imperfecta; quorum singula, prout usuram vitæ Deus extenderit, etiam edentur. Sed superiora in promptu.


E R.

DECLARATIO

Idem tam perlo parat, qui per hanc Primam Editionem
repositum hinc Deo volente, dabuntur pro
pedem ad Auctore.

V E R S U


Tomus II. Continuum part. I. continet Hæret.



ERRATA SIC CORRIGE.

Pag. 8. vers. 13. sublata . p. 10. v. 2. titulos . *ibid.*
v. 18. pectoris . p. 13. v. 17. status . p. 48. v. 32.
fines . p. 65. v. 9. Teuto . p. 80. v. 16. gentesque .
p. 135. v. 19. negarit . p. 136. v. 28. Camæna .
p. 169. v. 26. institor . p. 174. v. 30. spado?
p. 176. v. 14. cepit . p. 183. v. 11. detestabilis .

Cœtera, quæ occurrerint, facile prudens Lector
per se ipse emendabit .



MISCELLANEA

2. Not insuper Opera alia sunt per eum scripta præter hæc
in quibus elucidata, hanc editionem, partem ad hæc
impertinet, hanc editionem præter hæc, hanc editionem
extremam hæc, hæc editionem in præter hæc.

